797133

Téka A. Polcz IV. Szám. 102.

PALATINI
REGNI HUNGARIÆ
BELLO PACEQUE CLARISSIMI,

E DIVERSIS SCRIPTORIBUS

Patriis, Exteris, Diplomatibus, aliisque instrumentis literariis eruti,

AC PERBREVI NARRATIONE

A Primis temporibus SANCTI STEPHANI Hungarorum Regis,

Ad nostram usque ætatem cum accurata Chronologia deducti.

EDITIO TERTIA.

A. M. TUDOMÁNYOS AKADÉMIA RÉG. TÁRSULATA KÖNYVTÁRA



TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO MDCCLX.

304696
~~10474~~



2156-1918/19.



AD LECTOREM.

APparatu haud vulgari teſtium prodeunt Palatini Regni Hungariæ. Horum catalogum, uti & Judicum Curiæ, Caſpar Jongelinus de Lambertinis, Abbas Euſſerſthalenſis, & Hiſtoriographus Regius, Magno Leopoldo rerum potiente, confecit; pollicitus, ſe MAGNO VOLUMINE, eorundem res bello, paceque geſtas complexurum. En! illius verba: ---*Expeditum deſcripſi agmen magnæ Nobilitatis, & clari nominis Palatinorum, & Judicum inclyti Regni Hungariæ, qui a primis hujus Regni incunabulis, id eſt: a ſeptem retro ſeculis, huic bellicoſo Regno præfuerunt. Paucis fateor lineis, & ſuccincte id factum, non in alium finem, niſi, ut virorum amicorum, ac doctorum ope, & favore adjutus, plura adipiſci queam in* MAGNO VOLUMINE, *quæ de his prelo præparo, in ſerenda. Ex quo enim ad Regii Hiſtoriographi munus, & dignitatem adſumtus fui, illud omne tempus pro perperam abſumto habui, quod ad decus, & gloriam Sereniſſimorum Hungariæ Regum, inſumtum non eſſet. Itaque favete Nobiles, & Eruditi Viri! literis veſtris, per nuncios curſorios, defectus meos ſignificate; &, ſi quæ exſtant apud Vos, priſcæ dignitatis Palatinalis, vel Judicum Curiæ Regiæ, publica, vel privata documenta, mecum, ſi placet, communicate, ut* MAGNO VOLUMINE, *quod de illis elucubro, & propediem publici juris faciam, citius fruamini. Si quid viciſſim potero in veſtri gratiam, ad omnia obſequia me promptiſſimum invenietis. Valete. Viennæ ex Domo Nádasdiana, Kal. Auguſti Anno MDCLVIII.*

Verum, quod ſciamus, nondum Jongelinus parte hac amantiorum patriæ deſideria extinxit; ſive ultimam manum non impoſuerit cæpto labori, ſive pulcherrimi conatus triſti in pulvere cum blattis, & tineis luctentur; certe publica luce donati non ſunt, cum ingenti hiatu Hungaricæ Hiſtoriæ.

Viſum eſt interim duobus e Soc. Jeſu Viris, videicet P. Nicolao Smitth, & P. Nicolao Muſzka, Jongelini veſtigiis inſiſtere, quorum prior Palatinos ſub Regibus Hungariæ Auſtriacis anno MDCCXXXIX. Poſterior Palatinos ſub primis Regibus Hungariæ anno MDCCXL. Caſſoviæ edidit, uterque eodem in loco Rhetoricen profeſſus, eum potiſſimum in finem, ut ne tantorum Heroum nuda præciſe nomina apud Poſte-

ros

ros exſtarent. Longé vero auctiores nunc typis evulgantur, quam apud Jongelinum, vel Patrem Martinum Szentiványium e Soc. Jesu, vel in Corpore Juris Hungarici reperias. Nempe e fide diplomatum *Julam II. Eſau, Moyſem I. Stephanum I. Mike II. Stephanum II. de Chák, Demetrium de Chák, Pintham, Michaelem II. Keſerô, Joannem IV. Bánffium*, aliosque ſuo ordini, & loco reſtituimus, qui extra ſeriem Palatinorum ad tempus iſtud in tenebris jacebant.

Quanquam nonnullorum Hiſtoriam uno prope nomine abſolvere coacti fuerint nominati Editores propterea, quod primi noſtri Scriptores, uni fere Regum Majeſtati intenti, illuſtrium virorum, qui ſecundum Reges Patriam tutabantur, præclara facinora præterierint penitus, aut leviter duntaxat delibarint. Hæc de Majoribus noſtris vulgata querimonia.

Interim ut Pythagoras e ſpatio plantæ juſtam Herculis proceritatem, & alius non nemo e pollicis menſura, Cyclopis vaſtitatem, ac denique neſcio quis, totum ex ungue leonem dextere indagarunt, ita ex uno, atque altero illuſtri facinore, magnitudinem animi iſtorum virorum haud ægre conjicies; vel inter Pro-Reges numerum feciſſe, non leve argumentum fuerit bellicæ virtutis, potiſſimum ſub primis Regibus Hungarorum; cum plerumque Palatini in caſtris verſati, in fronte copiarum apparuerint, bellum ſuo ductu adminiſtrarint. Hæc in veſtibulo operis ſemel admonuiſſe ſuffecerit.

Tu ſi plus literariæ ſupellectilis, aut otii, atque nos, nactus fueris, tenues conatus promove, & Jongelini petitionem a nobis hoc loco iteratam puta. Nolle enim illuſtrare Patriam, dum potes, ſcelus eſt.

DIS-



DISSERTATIO
DE ORIGINE
PALATINORUM REGNI HUNGARIÆ,
EORUMQUE MUNIIS.

AD idem fere tempus cunabula ſua referunt Palatini cum Regibus. Simul namque ac D. Stephanus, Geyſæ Filius, quæ a Patre non minus pie, quam ſapienter cæpta fuerant, ad faſtigium perduxit, & cum ſacris Catholicis Regiam dignitatem, in Hungariam invexit; primis curis id complexus eſt potiſſimum: ut ſua diverſis Regni Magiſtratibns ponerentur ſubſellia, lectiſſimis ſubinde viris, atque in commoda patriæ natis implerentur.

Prima autem ampliſſimorum Magiſtratuum ſubſellia Palatini tenuerunt; quorum dignitas a Divo Stephano Anno primo ſupra milleſimum inſtituta, ſucceſſoribus deinde veſtigia S. Regis perſequentibus ad noſtra uſque tempora, (ſi demas fere decennium, quo Leopoldi voluntate abrogato Palatini officio Gaſpar Ambringenius, Gubernatoris nomine Hungariæ præfuit,) tam religioſe producta eſt: ut ſi eam vacare quibuscunque demum ex rationibus eveniret, Locum-tenentes Regii diminuta cum poteſtate, atque ad Regis fere arbitrium definita, nominarentur.

Sed non uni, principio, curæ omnes Palatinatus incubuerunt: diſtractas illas, diviſasque cum dignitate in plures ut opiner, an aſſeram? teſtimonio duorum Scriptorum inducor, Magiſtri Joannis de Thurocz, & Chartuitii Epiſcopi. Hic in vita S. Stephani, per Laurentium Surium perpolita; ille in Chronica Hungariæ CAP. LXI. ſub Colomano Rege plures Palatinos fuiſſe dilucide innuunt: niſi forte quis exiſtimet Scriptoribus his nomine Palatinorum venire promiſcue Aulæ Regiæ Præfectos, quos Aulicos vulgus dicit. Æta-

te noſtra Palatini ſedem explet unus; unum honor ampliſſimi Magiſtratus excipit.

Ad originem nominis quod attinet: a Palatio Regio deduci, atque etiam dici Palatinos liquet; unde honor iſte Magiſtratus Palatii Regii præſertim a vetuſtioribus nominatur. Pluribus locis apud Thuroczium, Bonfinium, & alios Scriptores, Palatinos, Palatii Regii Comites, alias Magiſtros; Regales etiam Comites, & Vicarios Regis, ſive Pro-Reges legere eſt. Imago Novæ Hungariæ vult patria lingua Palatinos dici *Nádor* (antique Nadur) *Iſpány*, mutuato a Sclavis vocabulo Nadvur, quod idem eſt, ac Aulæ Præfectus, vel ut Curtius loquitur: *Vir ſuper aulam.* Sentiat Lector ut libet.

In dubitationem illud revocari non poteſt: fuiſſe dignitatem hanc uti jam ævo noſtro, ita principio ſtatim ortus ſui ampliſſimam, atque a Rege alteram; nondum tamen eæ tum functiones, quæ hodie, Palatinorum operam fatigabant. Intra aulam fere Regiam, rationibus ejus, & negotiis procurandis intenti, principio diſtinebantur: ſi belli tempus demas. Impendente illo in campum, abſente præſertim ab caſtris Rege, militem deducebant, ſtruebant aciem, copias omnes ſumma cum authoritate moderabantur. Aucta ſubinde poteſtate extra aulam etiam Regiam, quod ante ut plurimum Sacerdotes, ut ſummi ſecundum Regem Judices pro tribunali ſedere, & ſententias dicere cœperunt, idque ſub ANNUM MCC. Fuit autem judicii hujus Palatinalis ea fere ratio: obibat Palatinus Hungariam, ac in ſingulis provinciis, quas Comitatus dicimus, ſuper colliculis ad id opera congeſtis, quorum aliqui hodie viſuntur, ſub aperto Cœlo pœnas de ſceleratis exigebat; iis etiam rite diſcuſſis, quæ controverſias, lites, in populo commovebant, animos in diverſa agebant.

Abrogata eſt hæc deinde judiciorum ratio; uti & mos Palatinum annis ſingulis deligendi, qui rerum potiente Bela IV. potiſſimum invaluerat, cum nimirum authoritas Palatini, atque potentia multis perniciosa, & formidanda videretur. Ludovicus II. perpetuum ad uſque finem vitæ, Palatini officium decrevit: cum jam ante Uladislaus II. ſapienter providiſſet de matura ejus electione, quo ii ſemper viri in Palatium Regium inferrentur, quorum fidei tuto in perpetuum ſalus Reipublicæ concredi poſſit. Secundum ſtatuta illius, accedentibus ſubinde & aliorum Regum decretis, ad rite faciendam electionem comitia Regni indici debent, atque in his quatuor ex Optimatum corona deſignari in ſuffragia; e quibus de *conſilio Prælatorum*, *Baronum*, & *Regni Nobilium*, ut habet Alberti Regis Decret. ANN. MCCCCXXXIX. Art. II. poſteaquam Rex unum Palatio ſuo adſcribit, Palatinumque renunciat: continuo is, verbis ſub Uladislao II. ANNO MCCCC. XCII. conceptis ſacramento coram Regnicolis ſe obſtringit.

Ita poſtquam a Majoribus noſtris cautum eſt de matura, & deliberata Palatini electione, aucta eſt etiam ſubinde ejus poteſtas,

ſtas, ampliata privilegia; ſed & munia quædam adjecta. Accuratiſſime illa complectuntur Articuli de officio Palatinatus pronunciati, cum Comes Emericus de Zapolya per Mathiam Corvinum in Palatinum eligeretur ANNO MCCCCLXXXV. ſi tamen demas nonnulla, quæ ſparſim diverſis Regum, præſertim Auſtriacorum Decretis habentur. Præcipua eorum, notis ſuis ſingillatim diſtincta compendio unum quaſi ſub aſpectum damus, ipſis fere Decretorum Regiorum verbis.

I. Palatinus in Regis electione primum votum habet; abſente illo Locum-tenentis officio fungitur, omniaque ea, quæ Rex ipſe, demptis tamen donationibus quibusdam, & rebus directe ad Regiam dignitatem pertinentibus, exercere poteſt.

II. Tutorem ex officio agit hæredis Regni, in tenera ætate conſtituti; dumque ille ad eam dignitatem perveniat, quæ par ſit Regimini, ipſe interea Regno præeſt: comitia, ſi boni publici ratio poſtulet, indicit.

III. Summam ſecundum Regem in Regno poteſtatem habet cum in civilibus, tum etiam militaribus; unde omnes provinciarum, urbium, præſidiorum cujuscunque nationis Præfecti, imperio illius ſubjecti, & obnoxii ſunt.

IV. Regnicolis cum Rege ſi quæ diſſenſio intercedat, Mediatoris obit munus; alias quoque quaſcunque demum illas inteſtinas ſeditiones, & controverſias inter Regnicolas enatas, ex officio componit.

V. Legatos, & Oratores audit; reſponſa etiam dat: ſed nempe, ſi Rex impeditus id præſtare nequeat.

VI. In partibus Cis- & ultra-Danubianis ſemel, atque iterum quot annis confinia Regni ipſe, aut per vicarios ſuos perluſtrat; Regem ſimul edocet, quis eorum ſtatus, quæ conditio.

VII. Bona ſive per defectum ſeminis, ſive alio quovis modo, & jure ad Fiſcum Regium devoluta uſque ad numerum XXII. Colonorum bene meritis de Rege, & Regno conferre poteſt.

VIII. Summum Regni Judicem agit; Generalis inſuper, & ſupremus Regni, & Regnicolarum Capitaneus eſt: Comitatuum adhæc Peſth, Pilis, Sold ſupremus Comes.

IX. Supremi cum Judicis poteſtate Sclavoniæ præeſt: Cumania etiam, & Dalmatia ejus judicio ſubeſt. Ab his certas inſulas pro proventu habet; ab illis annuos ter mille aureos, apud quos etiam Comitis titulo gaudet.

Hæc fere ſunt, quæ potiſſimum ad Palatinæ dignitatis ortum, electionem; poteſtatem, & munia pertinent. Qui particulatim plura, minutiora etiam noſſe cupit, Articulos decretorum Regiorum ſparſim jacentes pervolvat. A nobis jam propoſiti noſtri ratio poſtulat: ut virorum eorum, qui Magiſtratu hoc ampliſſimo perfuncti ſunt, Hiſtoriam ordiamur.

CEBA

Palatinus Regni Hungariæ I.

Sub S. Stephano 1001.

1001 ORdinem Palatinorum ducit *Ceba*, cui primum Palatium Regium patuit. Illatus autem in illud eſt Anno primo ſupra milleſimum, cum ab inauguratione Divi Stephani in Regem annus nondum ſe evolviſſet. Spectati animi, & conſilii fuiſſe virum, atque etiam Sacris Catholicorum apprime addictum, juratum contra Scythicæ ſuperſtitionis hoſtem vel inde mihi indubitatum eſt; quod unus ille Procerum omnium maxime Divi Regis gratia floreret. Encomiorum hoc compendium eſt omnium, & virtutis probatæ argumentum. Cum eo curas ſuas, primis illis Chriſtianæ Hungariæ temporibus, admodum difficiles partitus eſt: nec dubitavit etiam fidei illius ſalutem civium, & novellam Chriſti Religionem credere.

Tutandæ utriusque occaſionem ſubinde *Ceba* nactus eſt; Cupa primum Simegienſium Comite, Gyula deinde Tranſylvanorum Duce infeſtis armis patriam miſcentibus. Quam utilem adverſum utrumque in arena, ac etiam in Curia alias Divo Regi operam accomodarit, etſi pronum ſit conjicere, taciti præterimus: ita nimirum imperante pertinaci Hiſtoricorum ſilentio, e quorum vaſtis licet Commentariis ægre nomen ipſum *Cebæ*, & hoc nudum duntaxat, & mutilum unus aliquis protraxit. Caſpar Jongelinus Hiſtoriographus Regius, in ſuo Catalogo Palatinorum hæc meminit: *Ceba Comes Palatinalis, qui in privilegio Archi-Abbatiæ S. Martini, Ordinis S. Benedicti, in Diœceſi Jaurinenſi, immediate ſubſcribit, & collocatur poſt Dominicum Archi-Epiſcopum Strigonienſem, A. D. MI. ſub S. Stephano Rege.*

ABA

Palatinus Regni Hungariæ II.

Sub S. Stephano, & Petro Regibus 1034.

Aba, primis jam Divi Stephani temporibus apud Hungaros floruit. Anno ipſo, quo S. Stephanus ſolenni ritu in Regem unctus eſt, ſive ut ſui apud poſteros bonam relinqueret memoriam, ſive habitationem veterem Arcis Ovár, cujus etiamnum veſtigia ſuperſunt, peroſus, juxta Hernadum amnem arcem condidit, eamque ex nomine ſuo Aba-Ujvár dici voluit; unde etiam Comitatus, in quo

ſita

sita est, Aba-Ujvárienſis compellatur. Subinde, quo certius for- A. C.
tunis ſuis in Regno conſuleret, Saroltham, S. Stephani ſororem in
thori conſortem accepit; in eo deinde ſedulo, ac diligenter evi-
gilavit, ne quid in Regem, & Proceres officii negligeret, quo
ſibi voluntates eorum conciliaret, atque etiam ad uſus ſuos ad-
jungeret. Neque interea uni fortunæ ſuæ promovendæ animum
intendebat; ſalute communi bonorum operam expoſcente, nec
conſilio, nec armis defuit.

Atque his potiſſimum ad binos, eoſque ampliſſimos Magi- 1034
ſtratus, quos jam non multo poſt conſecutum referemus, pronio-
rem ſibi fecit aditum. Perfuncto Ceba Pro-Regis munere, cum
de ſucceſſore Patrum fervent ſtudia, *Abæ* Divus Stephanus &
animo, & ſententia favebat: acceſſerunt ſubinde Regi Proceres.
Ita collectis omnium ſuffragiis vicaria cum Regis poteſtate Hunga-
riæ præficitur ANNO MXXXIV.

Ad Palatii Regii honorem eluctatus *Aba*, ſeptennio deinde
illud, & Regnum, pro Rege moderatus eſt; tribus quidem poſtre-
mis annis Petro, quaternis primis rerum potiente D. Stephano,
quibus potiſſimum inclaruit. Stephanus enim jam ab ſeculi hujus
anno trigeſimo primo, quo Emerici Filii, morte immatura ſubla-
ti, funus extulerat, imbecilla plane uſus valetudine pro eo, ac
ipſe vellet, Regno proſpicere nequiit, ut qui, Bonfinio teſte, ne
pedibus quidem inſiſtere potuerit; curis proinde omnibus, & Re-
gio muneri *Aba* Vicarius ſucceſſit. Nec parvam ex functione hac
apud populares laudem collegit. Probabatur omnibus *Abæ* indoles,
genius, ut tum quidem videbatur, in Hungaros propenſus, fides,
conſiliorum ubertas: quibus omnibus in dies propius ad ſolium ac-
cedebat, quod etiam non multo poſt inſcendit. Sed id paulo altius
repetendum.

Rege Stephano rebus humanis exempto ANNO MXXXVIII. Pe- 1038
trus opera, & artibus Gyſelæ ad gubernacula Hungariæ admove-
tur. Simul atque in ſolium evehitur, crudele in ſubditos impe-
rium exercet, nobiliſſimos quoſque ludibrio habet; aſpernatur
Hungaros, Teutonum fere arbitrio cuncta, & pro libidine gerit;
quoque odii ſui, verius inſaniæ ad poſteros etiam certius memo-
riam tranſmittat, Hungariam dici vult *Angariam*, quaſi perpetuo
eam angi oporteret. Erant hæc ea, quæ haud immerito omnium
indignationem provocarunt; verum ne quid feſtinanter ageretur,
Optimates precibus primum profuſis obteſtari, tum lenius, ac
etiam acrius monere Regem. Cum fruſtra eſſent omnia apud ho-
minem conſilii impatientem, non ultra rem differendam rati, uno
conſenſu *Abam* e Magiſtratu Palatii Regii in ſolium evehunt AN-
NO MXLI. trucidatis extemplo Bela, Sebo, & reliquis partium
Petri ſequacibus. Acta hæc, adnitentibus potiſſimum Regni Prin-
cipibus. Petrus Regno cedere coactus ad Albertum Auſtriæ Mar-
chionem, inde ad Henricum Cæſarem confugit: utriuſque orat
opem, & impetrat, ſpes ſimul ſuas utcunque erigit.

A.C. *Aba* Regno potitus edicta Petri, & leges primum rescindit,
1041 tum novis conditis, undique copias magno impendio contrahit, & Henrico, aperte rivali suo faventi, bellum denunciat; Austriam mox, & Styriam ferro, flammaque divexat. Ibat victor exercitus, & in perniciem Carinthiæ, nisi ab Alberto Marchione, & Filio ejus Leopoldo insigni clade attritus, præda simul opima exutus, signa referre cogeretur. Henricus sive audacia *Abæ* irritatus, sive quod Petrum Hungaris Regem restitutum cuperet, numeroso cum milite in Hungariam infunditur, Hamburgum, & Posonium diripit, totamque late ad Granum regionem occupat. Addit P. Timon in Epitome sua Chronologica: *Novum Regem Hungaris dat Anonymum in Bohemia exulem. Hunc Anno MXLIII. fugat Aba.*

Fugato hoc Rege novo, non omni metu evolutus est *Aba*. Procedentibus feliciter Henrici signis rursum, intellexit cum hoste opinione sua majore sibi esse rem; viribus proinde diffidens suis, ad artes se convertit, & qua promissis, qua largitionibus apud Henricum denique evincit, ut is se suæ reddat Germaniæ: quamqnam ad istud non parum contulerit & Gothofredus Lotharingorum Dux, Gozilonis Filius, qui tum in Germania res novas moliebatur.

Depulso in hunc modum discrimine, securus jam Regni *Aba*, ut ipse quidem rebatur, a se ipso, suisque moribus sensim descivit. Nihil ille deinceps ex legibus, pro libidine agere omnia: agrestes, obscurique generis homines magni facere, & fovere: Optimates contra palam aspernari, crudelissime in eos animadvertere. Non pluribus illi agendum erat, ut odia Regni, quibus nuper in Petrum ardebat, sibi conscisceret. De excutiendo *Abæ* jugo, & Patria a feritate Tyranni vindicanda Proceres consultant; id quidem tum parum prospere. Detecta, cujus nescio calliditate, conjuratorum consilia, extremos plurimis peperere cruciatus. Nec cede horum delinitus *Aba*, Proceres omnino quinquagenos Comitiorum obtentu Csanadinum evocatos in vincula conjicit: mox ne facta quidem Sacerdotis copia, apud quem suis Religionibus animi noxas expiarent, satellitum gladiis jugulat. Qui ex cæde supererant, sibi, & Patriæ, apud Henricum salutem quærunt; restitui Petrum Hungariæ, *Abam* ejici profusis precibus flagitant. Non difficilis fuit ad vota supplicum Cæsar, ut qui distulerat tantum curam restituendi Petri, non abjecerat. Coacto ingenti ex Noricis, Bohemis, & Germanis exercitu, in Hungariam infunditur. Ad Jaurinum signa explicanti *Aba* occurrit, eductaque acie suos hosti opponit: ratus se facile victoria potiturum, quando ex Bavaris parvo numero copias Henrici constare intellexit. Exitium properavit *Abæ* nimia fiducia. Collatis utrinque signis, acerrime concurritur. Dextrum latus Henricus ipse, sinistrum Albertus moderatur. Hungari, qui ad Cæsarem defecerant, primam aciem occupant; objectumque Hungarorum agmen hortantur: patriæ per *Abam* divexatæ meminissent, nunc demum a Superis ipsis opportunam

tunam porrigi occaſionem, qua pax Regno toti reddatur, eam ut arriperent, a Regis denique ferocia ſe abjungerent, ſuis partibus accederent. Nec interea deſtitit *Aba* ſuorum animos obfirmare. Omnibus occaſionem rei bene gerendæ oſtentabat, promiſſis ingentibus onerabat omnes. Inde prælium acrius. Nutabat diu anceps victoria, prope jam ad partes *Abæ* inclinatura; niſi hominem, quem jam in prælio pars ſuorum melior deſtituerat, & fortuna deſtituiſſet. Sed & aeris intemperies in feritatem *Abæ* conjuraſſe viſa eſt: vento namque pulverem omnem, in aciem ejus conjiciente, cedere ſenſim cogitur. Inſtat Henricus, & ſtrage non levi ad Arabonem edita, victoria denique potitur, Petro reddit Hungariam; ſed qui triennio poſt cum ad ingenium rediret, Regno & oculis orbatus, in cuſtodia dein ſupremum vixit ANNO MXLVII. A. C.

Aba inclinata ſuorum acie, fuga celerrime hoſti elapſus, vico Chaba, ad Tibiſci amnem ſito, quem multis ante Nobilium cædibus polluerat, ſalutem ſuam credidit. Sed nimirum nuſpiam ſceleri ſecurum eſſe aſylum mox intellexit; ibidem ſeu a Petro, ſeu a proprio, quod nonnulli volunt, milite cæſus, & in proxima æde ſepultus. In pœnam pervicaciæ hoc genere mortis ſublatum putat P. Szentiványius. Per legatum quippe ſuum, ut ille refert Catal. LXXVIII. Benedictus IX. ſummus ſacrorum Antiſtes *Abam*, iniqua ut Regni poſſeſſione cederet, Petro legitime electo, & coronato Hungariam reſtitueret, commonefecit; ac etiam, cum a propoſito abire nollet, obſtinateque ſibi Regnum uſurparet, Romanis ſacris, communioneque piorum illi interdixit. Addit Bonfinius cum Thuroczio, & nonnullis aliis: poſt aliquot ab obitu annos *Abam*, cum nobiliori inferendus loculo, inque Cænobio Saár, quod de ſuo condiderat, tumulandus levaretur, obductis cicatrice vulneribus, corpore, ac veſtibus integrum repertum fuiſſe. De Hæredibus *Aba* certi nihil ex Annalibus patriis erui poteſt; extitiſſe tamen quosdam de genere illius, ampleque dominatos in provincia Aba-Ujvárienſi, Borſodienſi, ac Heveſienſi, clarum fit ex decreto Belæ IV. quo privilegia Epiſcopatus Agrienſis innovat ANNO MCCLXI. 1044

ZA-

A.C.

ZACHE

Palatinus Regni Hungariæ III.

Sub Andrea I. Anno 1055.

EX Magiſtratu Palatii ad ſolium Aba evecto, nullius meminerunt rerum noſtrarum Scriptores, qui id muneris geſſiſſet ad annum uſque quinquageſimum quintum ſupra milleſimum. Nec idcirco tamen is eſſe auſim, qui aſſeverem, nullum omnino annis ipſis XIV. Pro-Regis poteſtate functum; quod ſciam Hungariæ Scriptores, quam prolixos in recenſendis Regum factis, tam parcos in adnotandis cæterorum facinoribus, qui ſeu conſilio, ſeu alia opera ſalutem Reipublicæ ſecundum Reges procurarunt. Conjectura quantum aſſequi licet, certius mihi illud eſt: nullum Abæ in Magiſtratu Palatii ſurrogatum eſſe. Toto namque illo annorum XIV. decurſu, adeo vehemens Regnum tempeſtas divexavit, ut vix e legibus patriis quidpiam agi integrum fuerit. Et quidem quod ad tempora Petri, & Abæ attinet, brevi narratione complexi ſumus. Andrea ad clavum Regni conſidente, non minus pacatis licuit eſſe Hungaris, Henrico partim Cæſare, Petri cauſa belli conſilia inſtaurante; partim plebe cum numeroſis Proceribus indulgentia Regis barbare in ſacra, & Chriſtianos anteſignano Vatha deſæviente. Quam quidem ſacrilegam inteſtini hoſtis licentiam, poſteaquam ſe in throno firmarat, coercuit Andreas, egitque ſolicite, quo ſuus Chriſtianis ſacris reſtitueretur ſplendor. Cultum idcirco Idolorum proſcripſit, cædes, & rapinas inhibuit, eas ſtatuit leges, quibus tempora D. Stephani ſi non revocata ſunt, revocari certe poterant. Ita compoſitis Hungariæ rebus ad affirmandam Regno tranquillitatem deſiderabatur unus, qui pro legum ſancte conditarum integritate vicaria pro Rege opera evigilaret.

1055 Nec hujus diuturnum deſiderium fuit: Anno quinto ſupra milleſ. quinquageſimum, *Zache* omnium ſuffragio Palatini dignitatem accipit, ſed quam uno tantum anno geſſit. Incertum num muneri huic immortuus ſit, an eo ſe abdicarit? Quid a Pro-Rege hoc pro Republica actum, ne quære lector. Scriptores Hungaros, quorum in Præfatione memini, qua potui diligentia excuſſi; ne nomen *Zache* reperi. Jongelino Authore eum ſyllabo Palatinorum inſerui.

RÁ-

RADO

A.C.

Palatinus Regni Hungariæ IV.

Sub Andrea I. Anno 1056.

GEmino veluti vehiculo nominis ſui gloriam *Rado* ad poſteros tranſmiſit: virtute nimirum propria, & Patris Wencellini, ut Thuroczius vult, de Vazunburg, gente Alemanni. Caſtra is primum Ottonis ejus nominis III. ſequebatur; ad Hungaros dein D. Stephano dominatum obtinente digreſſus, & ob rei militaris peritiam, & conſiliorum magnitudinem brevi Regiam, & Regnum fama implevit. Coacto adverſum Cupam Simegienſium Comitem exercitui a D. Stephano præfectus, non multo poſt bellum confecit; quando ſingulari certamine cum Cupa congreſſus, Duci caput, ſpem victoriæ ſequacibus abſtulit: pacem ſimul Regno, ſibi ſempiternam gloriam procuravit. Sed nec id temporis ſuus defuit Duci honor. Teſte Bonfinio: Dec. II. Lib. I. *Dictatori Wencellino præmia multa, honoresque redditi. Oppidis, villisque ampliſſime a Rege donatum ferunt*, ut vel hinc facile conjicias: multarum opum fuiſſe apud Hungaros *Radum*, ut qui Patri hæres unus ſucceſſit.

Verum parum felix erat hac parte, niſi etiam virtus Paterna 1056
ad eum hæreditate perveniſſet; quam ſubinde pro Republica glorioſe geſtis ita illuſtravit: ut nulli non ad ſumma quæque natus videretur: vacante Palatini ſede omnium auferret ſuffragia: Pro-Rex denique, Andrea I. moderante Hungariam, Anno MLVI. renunciaretur. In Palatium Regium jus ſupremum adeptus, nihil ſibi agendum potius judicavit, ac ut optimos Regis conatus promoveret: avitam Hungarorum Religionem, ſecundo ſub Andrea nutantem ſtabiliret. Manifeſtum fecit iſtud, dum Anno MLVII. D. Benedicti Familiæ Cœnobium in Syrmio, adjecta S. Demetrii Abbatia, excitavit. Volebat nimirum tum etiam, cum ipſe rebus profanis ad muneris ſui rationes intenderet, vicaria ſaltem opera ſacratioribus vacare.

Et erant tum ea tempora, quæ pia proborum deſideria haud modice morabantur. Bela, Andreæ Germanus, præmaturam Salomonis coronationem non ferens, copiis a Boleslao Polonorum Rege inſtructus, bellum in Hungariam intulerat, eo fidentius a Fratre coronam petiturus, quod magnam partem popularium faventem ſibi non ignoraret.

Occurrit hoſti Rex Germanorum, Bohemorumque ſubſidiis 1059
potens. Dux *Rado* Regem ſequitur, prælium indubie proſpero exitu confecturus; ſi fortuna, eatenus propitia, Andream non luſiſſet. Diu ſpe pari, & conatu utrinque pugnatum: Germanis tandem in fugam ſe effundentibus, Hungari, qui Andream ſeque-

A.C. bantur, ad Belam partim deficiunt, partim cæduntur. Rex a ſuis deſertus, in fuga ſalutem quærit, ſed non invenit. Retractus tum, in ſylva deinde Bakonyenſi detentus, diem obiit ANNO MLIX. Quis caſus prælio hoc Pro-Regem exceperit, ab Hiſtoricis proditum non eſt. Illud certum: Miſcam e *Rado* genitum, prima inter Hungariæ Proceres dignitate floruiſſe cum filiis Cupa, & Martino. Et Martinum quidem hunc eſſe teſtatur Bonfinius, cujus dein filius Opus, ſive Opos dictus, ſub Salomone proſtrato in ſingulari certamine gyganteæ magnitudinis Bohemo, victoriam Regis nobilitavit. Cætera ejusdem facta, quibus multum inclaruit, pluribus locis enarrat.

A C H A

Palatinus Regni Hungariæ V.

Sub Salomone Anno 1064.

REſpiravit tantillum Hungaria Bela I. rerum potiente; Salomone vero Rege, & Duce Geyſa, opera potiſſimum Deſiderii Jaurinenſis Præſulis, concordi Regnum conſilio moderantibus, prope jam ſecuritatem fortuna apud nos reperiſſe videbatur. Ita tum ſapienter, & e re boni publici gerebantur cuncta.

1064 Quo ſpes tam amplæ popularium confirmarentur, aut etiam ſubinde augerentur, ANNO MLXIV. Palatio Regio *Acha* admovetur, Palatinusque renunciatur. Egregium ſacra Romana in Pro-Rege novo nacta ſunt fautorem. Anno ipſo Magiſtratus initi impendiis non levibus cum Abbatia de Siliſio, ſive Zelyz, honoribus S. Jacobi dicata, elegans Cænobium e fundamentis eduxit, ſectatoribusque D. Benedicti colendum dedit eodem anno. Aſceterium peculiare habet illud: quod templi ejus dedicationem Salomon cum Geyſa præſentia ſua honeſtarit. Precibus id datum *Achæ*, qui Principes ab expeditione, cauſa Creſimiri Dalmatarum Regis, adverſus Carinthios ſuſcepta, reduces ad viſendam Aſceterii fabricam invitavit: manifeſtum hoc propenſæ in *Acham* Regis benevolentiæ indicium. Opinio quorundam eſt, *Acham* Archi-Epiſcopum Strigonienſem, *Achæ* Palatini filium fuiſſe. Vide *Archi-Epiſcopos Strigon. pag. 14. editos Tyrnaviæ in fol. Anno MDCCLII.*

VIDUS

A. C.

Palatinus Regni Hungariæ VI.

Sub Salomone Anno 1072.

NOn unam Hiſtoriæ Salomonis partem fecit propriam *Vidus*, homo projectus, & ad audendum quidlibet promptus, & expeditus. Apud Alemannos domo ſubobſcura oriundus, per ſcelera, & perfidiam ad eos ſubinde in Regno noſtro eluctatus eſt honores, quos Illuſtres viri, ſuffragio etiam virtutum vix ſibi polliceri audeant. Opibus progreſſu temporis auctus, poſtquam honoris auram aliquam in Hungaria ſibi afflari ſenſit; tumidus, & jam ſe ipſo major, ſumma quæque apud animum moliebatur. Eventu ſuo ne molimina careant, ad artes converſus, blanditiis, quibus valebat plurimum, incautum Regem in partes ſuas pertraxit. Et jam unus ille audiebatur: unius *Vidi* arbitrio gerebantur cuncta. Ita de illo Thurocz. in Chron. Hung. C. LII. *Regebat autem Vid ſic Regem, ſicut Magiſter Diſcipulum; eratque ſibi de jure, ſine omni jure ſubditus.*

Auctus ſubinde Palatini dignitate, propiorque factus ſolio, ad 1072
dominatum Hungariæ aſpirare cæpit. Nectebat idcirco ex conſuetudine amicitias, vulgi ſtudia ſibi conciliabat: cumque ſummorum æque, ac infimorum benevolentiam collegiſſet, Regnum jam, non ut alienam rem intuebatur. Concordia Salomonem inter, & Gevſam, una fere ſpem, & ambitionem veteratoris morabatur. In omnem proinde occaſionem intentus, nihil non agit: quo utrumque in odia provocet, motibus inteſtinis Regnum miſceat, bene gnarus: nuſpiam ſecuritatem ſceleri eſſe certiorem, atque rebus turbatis.

Annus ab ingreſſu Palatii alter ſacrilegis molitionibus cam- 1073
pum aperuit. Biſſeni (Bosnenſes nos dicimus) Pannoniam inferiorem trajecto Savo, & Dravo populabundi incurſabant, Belgradenſibus contra fœdera cum Hungaris inita non repugnantibus. Vindicandæ erant injuriæ: bellum proinde in utroſque decernitur. Regem Geyſa, & *Vidus* Duces ſecuti. Funduntur primum Bosnenſes ad Savum amnem; toto dein cum exercitu Belgrado affunditur Salomon, & tertium poſt menſem, Geyſæ, *Vidique* conſilio, & dexteritate victoriam accelerante, ſibi denique urbem aſſerit.

Nicota Belgradenſium Dux perdita urbe, ne vitam perderet, prælata Divinæ Matris icone ſupplex ad pedes Geyſæ provolvitur. Secuta Ducem præſidiaria turba pene omnis: pauci admodum erant, qui ad Regis clementiam ſe applicarent. Noverant nimirum & exteri obduruiſſe animum Salomonis ad preces, poſteaquam perniciosis *Vidi* conſiliis auferri cæpit. Commovit autem

A. C. istud magnopere Regis animum, & ad opprimendam Geysæ authoritatem provocavit. Ad fomitem mali & illud accessit: spolia e prælio relata *Vidi* consilio ita quadrifariam divisa sunt, ut Regi prima, altera *Vido*, Iliæ *Vidi* Genero tertia, postrema demum portio Geysæ Duci cederet.

Justa hinc Geysam *Vido*, ac genero ejusdem posthabitum indignatio incessit. *Vidus*, ne pessima sua consilia expediendi occasionem, atque in ea paratam, seque expectantem, ut ille rebatur, fortunam dimitteret, curas omnes ad id advertit: ut suspicionibus crebro ingestis, animum utriusque Principis amplius irritaret, discordiam augeret; suadere etiam subinde ausus: Geysam e medio tollendum, neque enim sceptrum unum a duobus teneri, neque a duobus solium unum posse occupari. Nimirum familiare tumentibus ambitione illud est: ut artes expediant omnes, rationem quamvis consiliis suis peridoneam ineant, a se ipsis nonnunquam abeant; ut fastigium, quod somniant, contingant.

1074 Nec in irritum recidere conatus *Vidi*. Commotus Rex vehementi illius oratione, non magis odio, quam invidia in Geysam ardebat. Et quamvis Pontificum opera ad pacem, & concordiam cum Geysa tum rediisset: *Vidi* iterum machinationibus pejus excanduit. Identidem ille vivo Geysa nullam Regi securitatem esse, aperto proinde bello petendum inclamabat. Hæc cum ita loqueretur, ut non suam, sed Regis causam agere videretur, Salomonis animum in suam penitus sententiam traduxit. Calliditas hæc prolicuit lachrymas Erneo (Ernyô) viro Principi. Nec dubitavit ille palam Rege ipso audiente, loquendi licentiam in *Vido* perstringere. Edocuit belli pericula, caute cum Geysa agendum monuit. Rex, qui unius Palatini consiliis acquiescere prope consuerat, Erneum sana monientem respuit: prælium ad arbitrium *Vidi* decernit. Et jam Germanorum auxiliis validior imparatum Geysam, nihilque tale opinantem opprimere constituerat; verum ille a Villarino, Sixardiensis Cœnobii Antistite, periculi admonitus, primos Regis conatus tumultu excitato, quo nondum se saluti suæ indormisse significabat, infregit. Quo dein eos penitus eluderet, atque etiam improvidum Salomonis fervorem temperaret, Ladislaum fratrem in Bohemiam auxilia rogatum ablegarat; ipse celeritate, qua potuit, maxima collecto tumultuario milite, ad Tibiscum signa protulit. Atque hic quidem propitia usi sunt fortuna Salomon, & *Vidus:* nimirum ut atrocior deinde utrique insultaret. Non idcirco tamen fusus licet, & fugatus Geysa animis concidit; quin validis dein ex Bohemia per Ladislaum auctus suppetiis, Regi ad Pesthinum metanti denuo occurrit: & insigni potitus victoria campo, & solio illum exturbavit ANNO MLXXIV. Nobilitavit Geysæ victoriam Salomonis fuga, & cæsi in acie viri Principes. Primus omnium pœnas expendit fraterni belli detestandus author *Vidus*. Sinistrum cornu is Bachiensium moderabatur, nec segniter rem agebat suam; laudem forte aliquam ex are-

na

na relaturus, nisi Othonem Bohemicarum copiarum Ducem, virum belli studiis innutritum sors illi non jam propitia objecisset. Ille *Vido* gloriam, quam sperare poterat, abstulit: quando conserta manu vehementi adeo impetu in eum illatus est, ut jactabundum inclinaret primum, inclinatum magna cum strage fugaret; ac denique lancea perfossum, & capite saucium vita, & spebus Regni, quibus se veterator alebat, exueret. A. C.

Sed nec secundum fata turbulento homini quieto esse licuit. Inter cadavera corpus *Vidi* agnitum offertur Ladislao Duci. Indolere is se primum super morte *Vidi* significavit: dein, revocatis in memoriam sceleratis ejus molitionibus, atque sacrilego ambitu, tenere se non potuit, quin exanimi identidem circumfusa militum corona gravissimis verbis objectaret: cur dominatum, ac regnum affectasset? cur coronam exambierit, & supra conditionem suam se efferens immodica libidine æstuaverit? Vix finiit hæc Ladislaus, cum milites ira perciti in cadaver infensum desæviunt, pectus patefactum, & oculos hiantes pulvere objecto explent, identidem inclamantes: *Nunquam Vide tui oculi honoribus, ac donis satiari potuere; conjecta nunc terra pectus avidum, & lumina exple.* Verba sunt Bonfinii Dec. II. L. III. Atque hic ille est funestissimus tot malorum authoris exitus. Tragœdiam, quam Geysæ Principi integerrimo, ut dominandi libidinem expleret, instruebat, non sine Numinis consilio exitio proprio concluſit, certo ad posteros transmisso documento: tela in alios intorta, in authores potissimum retorqueri.

JULA I.

Palatinus Regni Hungariæ VII.

Sub Regibus Geysa I. S. Ladislao, & Colomano Anno 1075.

REgio Palatio admotum Julam ANNO MLXXV. Jongelinus e literis Monasterii Silisiensis eruit. Eundem S. Ladislao rerum potiente eidem Magistratui præfuisse ad ANNUM MLXXXV. ait Author *Topographiæ Magni Regni Hungariæ*, a P. Timon Soc. JESU in *Imagine Novæ Hungariæ* laudatus. Damus Authoris verba: *Zagrabiensis*, inquit, *Ecclesia fundata fuit a S. Ladislao Rege Hungariæ circa annum Domini MLXXXV. Strigoniensis Ecclesiæ primatum gubernante Acha, Baaciensi Archi-Episcopo Fabiano, Weszprimiensi Episcopo Cosma, Palatino Comite Jula, Simigiensi Comite Grab.* 1075

Colomanum Regem adversus Russos præliantem secutus, e prælio lethale vulnus retulit, ex quo etiam non multo post obiisse eum, testis est Thuroczius C. LX. *tunc*, inquit, *Jula Comes in pe-* 1099

A.C. *dibus vulneratus evaſit: de quo vulnere in Hungaria mortuus eſt;* niſi forte quis alium hunc *Julam* a Palatino fuiſſe pertinaciter aſſeveret. Id quidem cui innixus fundamento facturus ſit, non ſatis video. Statuimus proinde, verius conjicimus, ſub Colomano etiam vicaria cum Regis poteſtate *Julam* annis tribus Hungariæ præfuiſſe: univerſe autem ſub tribus Regibus annis quatuor, & viginti. Neque tamen ſententiæ huic ſacramento nos adſtrinximus: quin ultro fatemur, receſſuros nos ab ea libenter, modo quis certiora ex obſcuris illis antiquorum monumentis in lucem producat.

JOANNES I. UROS

Palatinus Regni Hungariæ VIII.

Sub Colomano, & Stephano II. Anno circiter 1100.

IAm a primis Regum Hungariæ temporibus Uroſiorum proſapia floruit. Thuroczius meminit cujusdam Uroſii, qui pro Andrea I. Rege Poſonium urbem adverſus Henricum III. dum tutaretur; cum Alemannis nullo non obſidionis die glorioſe non minus, quam acriter ſignis collatis congrediebatur. Auxit generis tanti gloriam Uros Auguſtalis (ut habet Bonfinius) Comes, & Macedoniæ perpetuo cum imperio præfectus: cujus deinde Filia Helena Cæco Belæ Regi in thalami ſociam data, ſtirpem Uroſiorum in ſolium intulit. Sed ab inſtituto noſtro alienum eſt hic immorari. Certe quantacunque illa fuit Uroſiorum gloria, eam novis acceſſionibus *Joannes* non modo illuſtravit; ſed & ne illius memoria unquam poſteris excideret, multis pro Patria præclare geſtis effecit.

1100 Palatio Regio ſubinde adſcriptus, & Regni motus, & Colomanum Regem, ad infanda quæque, & crudelia pro libidine ſua abreptum, ſingulari prorſus prudentia temperabat. Annus, quo Magiſtratum iniit, ex Scriptoribus non conſtat certus: verum cum jam ANNO MC. Decreta quædam ad Palatini inſtitutum facientia Colomanus ediderit, *Joannem* circa annum hunc Pro-Regem dictum veri ſpeciem habet. Cur enim leges Palatino dictandæ? niſi aut jam ſit, aut proxime nominetur. Sed controverſum iſtud. Illud certum: nunquam *Joannem* a latere Colomani diſceſſiſſe, ſive is popularibus jus diceret, ſive Martem ſub papilione ſequeretur. Nec facile Rex quidquam, niſi re prius ad illius arbitrium relata, ſtatuebat.

1108 ANNO MCVIII. cum Rex in Dalmatia agens Tragurinos, amplis privilegiis ante collatis, libertate donaſſet, ſubſcripſit *Joannes* Palatinus, ut adnotat Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ L. III. C. IV. Eandem operam Clero Dalmatiæ præſtitit ANNO

MCXI.

MCXI. cum ei privilegia, quibus Hungariæ Clerus gaudet, diplo- A.C.
mate Arbensi Ecclesiæ dato conferrentur. Atque hæc regnante Colomano.

Elato illo, ANNO MCXV. graviores curæ exceperunt *Joannem.* 1115
Cum enim Stephanus ejus nominis II. Rex ætate esset tenera, annis prope novem ex legibus patriis pro Rege Hungariam moderabatur. Pacata tum omnia domi procurante Palatino: at prohiberi nequiit, quo minus in Dalmatia (ut refert in suis Annalibus Dandulus) res Hungaricæ per Ordelaphum Venetorum Ducem labefactarentur; sed & hæ non multo post firmatæ. Patentiorem virtuti suæ campum reperit *Joannes* ipso Stephano Rege ad gubernacula Regni assidente. Ad vindicandas injurias bellum a nostris in Bohemos parabatur; sed quod brevi sapientiore consilio mutuo Principum alloquio (ita jam inter eos convenerat) terminari oportebat.

Et jam præstitutus erat dies, qua Duces ad Orsonam amnem 1123
adessent, coram ultro citroque suspiciones, & calumnias expurgaturi: cum Zoltha homo nefarius, quem in Bohemiam Hungari ob scelerum atrocitatem relegaverant, certam pacis spem insigni flagitio corrupit. Occasionem is nactus exilii sui vindicandi, suspicionibus novis Ducem utrumque clam datis literis implet, & graviſſimos Hungaros inter, & Bohemos motus excitat. Acerrima proinde cooritur pugna; Bohemis & numero, & bellatorum robore prævalentibus, Hungari cum Rege in effusam fugam conjiciuntur. Ita inclinatis rebus nostris saluti fuit Palatini virtus. Conspecta is eminus Hungarorum fuga cum delectis, quos ducebat, equitibus prælium instaurat; Regium militem e fuga retrahit: Bohemum rapinæ intentum, aviditatemque suam in spoliis legendis explentem insigni clade profligat: victoriam denique adeptus, detectis etiam subinde Zolthæ fraudibus pacem conficit. Facinus istud plane Heroum *Joannis* gloriam non leviter auxit. Et jam nominis sui fama non Hungariam modo impleverat, sed longe, lateque per Bohemiæ, Poloniæ, Austriæ populos circumferebatur; victurus indubie æternum bona posterorum memoria; ni ambitione solii, odia sibi denique omnium conflaviſſet. Res in hunc modum eveniſſe fertur.

Stephanus, Bela cœco nondum ad Hungariæ dominatum destinato, Agriæ gravi morbo correptus prope animam agebat. Spem hinc Palatinus cum Ivano (ut volunt aliqui) Filio, Regni potiundi concipit; quin & non multo post a conjuratis Rex proclamatur. Verum Regi scenico male vertit personata dignitas. Mox Stephano valetudini restituto, uterque spebus Regni evolvitur: & Ivan quidem capitis pœnas exolvit; *Joannes* vero Regia sibi, & posteris interdicta apud Græcos exulare jubetur. Consule Gregorium Pethô in Chron. Hung. Bonfinium, & Turoczium.

LAM-

A.C.

LAMBERTUS

Palatinus Regni Hungariæ IX.

Sub Stephano II. & Bela II. Cæco; Anno 1125.

1125 RElegato ad Græcos Joanne Urosio sedem Pro-Regis *Lambertus* implevit circa ANNUM MCXXV. non vero, ut vult Jongelinus ANNO MCXXIV. cum diplomati a Stephano II. anno isto Tragurinis, & Spalatinis Civibus dato, post Præsulum nomina, suum non adposuerit primus, uti alias fieri amat, neque Palatinus legatur. Recitat illud Lucius Dalmata L. III. C. IV. Nobilibus exortus cunis natalium splendorem illustri connubio Sophiæ, D. Ladislai sororis auxit. Verum bene gnarus non eum continuo seculorum memoria dignum, cui aut a magnis nasci, aut jungi magnis contigerit, nisi & fortunam virtute, & præclare gestis illustret; eo curas omnes, & cogitationes advertit; ut & Religionis integritatem, & Patriæ salutem servaret.

Sub hæc tempora Ordo Præmonstratensium Hungariam ingressus, certam nondum coloniam fixerat; adfuit mox advenis pia *Lambertus* solicitudine, & munificentia. Honoribus D. Stephani ditionem suam de Bozouk, sive Bozok, erecto ibidem Asceterio dedicat, colendamque novellis colonis tradit. Præposituram hanc dein Bela Rex cæcus ratam habuit ANNO MCXXXV. & rursum quadriennio post. Atque hæc est illa prima (ut recte arbitratur laudatissimus *Hungariæ suis cum Regibus* Scriptor) sanctissimæ hujus Familiæ in Regno nostro sedes; cum ab ortu sui, qui in ANNUM MCXX. incidit, haud longo post tempore isthic consederit.

1129 Ab Aris ad Patriæ commoda, & æquitatis integritatem inter cives fovendam curas transtulit Pro-Rex, Stephano rege interea cum Venetis, Græcisque prælio contendente. Pace subinde cum exteris inita cucullum prius indutus Rex, diem obit MCXXXI.

1131 Pacatam Bela II. quem Colomanus Rex impulsu quorundam Procerum circa ANNUM MCXIII. oculis orbaverat, adiit Hungariam: sed quæ mox intestinis motibus fluctuavit: *Lambertum* exitio involvit. Helena, Belæ Conjux cæcitatem Mariti Regis miserata, Aradini coram frequentissimo Nobilium consessu (vindictæ licet cupiditatem Rege reprehendente) tam acerba oratione facinoris illius authores perstrinxit, ut ipso comitiorum tempore octo, ac sexaginta eorum e vestigio trucidarentur: reliquis severa decernerentur supplicia Damnavit *Lambertus* cum non paucis Procerum tyrannidem Reginæ, nec cunctandum crudeli sub imperio ratus: cum Filio Nicolao, cæterisque conjuratis Borichum, Colomani adulterinum Filium literis crebris ad invadendum Regnum hortatur.

Non

Non alienus erat ab his Borichus, ut qui jam dudum auram A. C.
ſibi aliquam afflari optarat, quæ longa collapſi animi, ſpeique ſibi acciſæ tædia ſolaretur. Ne proinde fortunam ultro venientem diffluere per incuriam pateretur; Polonorum, Rutenorumque fretus auxiliis in Hungariam quamprimum irrumpit. Bela audito hoſtis adventu, feſtinato copias contrahit; prius tamen in ſeditionis authores decernit ſupplicia. Continuo obtruncantur alii; alii in carcerem compinguntur, pauci fuga ſibi conſulunt. Pro-Rex ut vitam ſervaret ad clementiam Regis ſe applicat: pedibus Belæ ſupplex advolvitur. Flexiſſet indubie Regem, non tam ſua, quam Helenæ Conjugis feritate, luctuoſam ſcenam inſtruentem, vitamque ſervaſſet: verum exitio fuit Fratris præſentia. Is proditionis impatiens procumbere ad pedes Regis *Lambertum* indignatus, ſubſelliorum fragmine ſupplicis Fratris caput diffringit: Mox & Nicolaum ejus Filium ante Regem obtruncat. *Lambertus* accepto lethali vulnere & munus Palatini, & vitam funeſto exitu concluſit MCXXXII. Nimirum incerti ſunt Fortunæ caſus, nunquam non jactamur ſorte varia. Leges hodie e faſtigio dictamus, plauſu vulgi circumſtrepimus: cras ludibrio futuri omnibus, aut etiam triſti amicis ſpectaculo.

F A U S A L

Palatinus Regni Hungariæ X.

Sub Bela II. Cæco, & Geyſa II. Anno 1137.

IN ſyllabum Pro-Regum *Fauſalem* relatum MCXXXVII. 1137
ſcribit Jongelinus. Ego anno ſequenti eum diplomati ſubſcripſiſſe reperio, quo Bela II. Præpoſituram Demeſienſem firmat. Pacato uſus eſt Magiſtratu, dum Bela Hungariam moderabatur. Tranquilla tum erant omnia. Rex ipſe fugatis Borichi ſequacibus, quaſi periculo omni defunctus, otio inerti ſe tradidit: Regi & Proceres nonnulli acceſſerunt: omnes ad legendos pacis fructus, ut quemque ferebat genius, animum, & operam contulerunt.

Verum non diuturna licuit uti quiete Hungaris. Geyſa in ſo- 1104
lium elato Conradus III. & Henricus Dux Auſtriæ precibus Borichi, Regnum rurſus ambientis, inducti Hungariam infeſtis armis invadunt. Enatæ hinc curæ, brevi Palatium Regium impleverunt: Palatinum ad nova ſtudia, ac induſtriam provocarunt. Verum, quæ illæ? qua ratione *Fauſalis* opera pertractatæ? necquidquam apud Scriptores inveſtigavi, ut qui vix bene nominis *Fauſal* meminerunt. Jongelinus de eo hæc habet: *Fauſal Regni Hungariæ Comes Palatii ſub Rege Geyſa II. floruit, vixitque Anno Domini MC. XXXVII. & adhuc MCXLI.* Liti & iſtud ſubjectum; qui enim Pa-

Palatini Regni Hunc.

A.C. latinus ſub Geyſa II. ANNO MCXXVII. eſſe potuit? cum adhuc tum Bela vixerit: niſi forte (ut recte obſervat P. Timon in Epitome ſua) Geyſa, vivente Patre Bela, Rex renunciatus fuerit, quod ſæpius eveniſſe in Hungaria Annales Patrios inſpicienti patebit. Verum quia incertum & hoc, ſecuriora ſecuti ſumus, Pro-Regemque *Fauſal* ſub duobus Regibus inſcripſimus.

GERZEON

Palatinus Regni Hungariæ XI.

Sub Geyſa II. Anno 1148.

1148 ALter ſub Geyſa II. vicaria cum Regis poteſtate jura dixit Hungaris *Gerzeon*, aliis *Gereon*. De anno Magiſtratus initi litigant Scriptores. Diploma, quod Geyſa II. Mikoni Præpoſito veteris Budæ, ſubinde Colocenſi Metropolitæ elargitus eſt ANNO MCXLVIII. adverſus Fiſci Regii adminiſtratores, *Gereonem* prodit Judicem Curiæ Regiæ. At Jongelinus ex alio inſtrumento eruit, eum anno eodem Palatini munus geſſiſſe. Sic enim numero x. ait. *Gereon Comes Palatii Regii, floruit Anno MCXLVIII. ſub Geyſa II. Rege, ut patet in privilegio cujusdam Capituli.* Octennio Palatio præfuit, quo Conradum Imperatorem, & Ludovicum Regem Galliæ in Syriam ferale bellum trahentes Hungaria hoſpitio excepit; ac etiam ſub ANNUM MCL. Minoslaum Ruſſiæ Principem, cujus Filiam Geyſa in matrimonio habebat, contra Lodomerium æmulum juvit.

BELUS

Palatinus Regni Hungariæ XII.

Sub Geyſa II. & Stephano III. Anno 1156.

Elus, vel ut volunt aliqui, *Bela* tertius eſt, quem Geyſa Palatinum habuit. Avunculus is Regis erat, generis proinde Nobilitate, ſed magis præclara fortitudine, & rei militaris peritia clarus. Dalmatiæ primum ſumma cum Bani authoritate præpoſitus MCXLII. Regiis immunitatibus ditavit Dalmatas: & ne ab obſequio Regis ad Venetos, quod proclive fuit, deficerent, vigilantia ſua, ac ſingulari providentia effecit. Verum ne unius tantum Regni commodis natus videretur; in Hungariam ſubinde digreſſus, præclaram, & utilem Regi contra Conradum III. Cæſarem, & Henricum

Au-

Auſtriæ Ducem navavit operam. Irruperant illi in Hungariam A. C.
formidando cum exercitu; ut Borichum (leviter jam id ſupra in Hiſtoria Palatini Fauſal attigimus) in ſolium eveherent; & jam opera Rapolthii, & Juliani Comitis Poſonium dolo, ac fraude occupaverant. Succeſſu primo calidior miles per totam late viciniam terrorem circumfert; oppida, & villas qua diripit, qua triſtibus flammis in cineres agit. Addebat animos, Regis adoleſcens ætas, belli proinde, ut illi quidem rebantur, imperita. Verum diverſum ab eo, quem opinabantur Regem, Dux uterque malo ſuo edoctus eſt. Periculi is magnitudine admonitus, delectum continuo per Hungariam habet; ac etiam paucis poſt diebus, ne intra Regni ſui limites bellum gerere cogatur, in Auſtriam numeroſo cum milite, eoque in aciem ſemper ordinato infunditur. Duas velitum alas, in utroque cornu productas, claudebant a tergo cataphracti equites: in medio pariter cataphractorum agmen, gemino ad latera peditum ordine munitum ductabat *Belus:* Prætoriani ſequebantur aciem. Nec ſegnes interea Henricus, & Conradus ſuos ad rem bene gerendam comparant, tantaque vi in Regios invehuntur: ut velites Beſſos, & Scytulos, qui ſiniſtrum cornu impleverant, primo ſtatim congreſſu inclinarent, in turpem fugam conjicerent. Grande hinc periculum imminebat Hungaris; ſed quod brevi mediæ aciei Ductor Banus virtute ſua diſcuſſit. Adducto is veterano equite, laborantibus Regiis poſteaquam opinione celerius ſuppetias adveniſſet, omnibus ad ſpem honeſtæ cum victoria gloriæ erectis, impetu maximo in Germanum hoſtem invadit: repugnantem multa clade atterit, cædit, fugat: victoriam denique diu ancipitem Geyſæ aſſerit. Septem hoc prælio Germanorum millia deſiderata ſunt: tribus millibus ſuis parentarunt Hungari. Acceleravit nobilem triumphum Hungarorum pietas. Rex, cum ſibi principio a Proceribus magnitudo periculi, & robur hoſtium objiceretur, repoſuit: *ſe Divinum auxilium, & ſacros habere milites, & ductu, auſpiciisque Chriſti optimi maximi facere ſtipendium. Bonfin. Dec. II. L. VI.* Nec intra verba tantum pietas Regis conſtitit. Edicto dato ad aras omnes rem Divinam in dies fieri voluit, MARIAM præſertim Magnam Hungarorum Dominam exorari: Regni, ultima voluntate D. Stephani ſibi traditi, ut meminiſſet. Hæc pietas Geyſæ, præclaro ſane ad poſteros exemplo. Nimirum non difficilis tum victoria, cum Religio militis DEUM, & Cælites pro ſe pugnare cogit. Sed ad *Belum* revertamur.

Confecta victoria non amplius in ſuam ſe reſtituit Dalmatiam: 1156
in præclare navatæ operæ præmium, quo majus dari nequiit, a Geyſa Pro-Rex renunciatur ANNO MCLVI. ſignatque eodem anno diploma Regium, quo Martirius Metropolita Strigonienſis ſuo Archi-Capitulo contulerat ſeptuaginta villarum decimas. Mira popularium gratia, ac fide incorrupta provinciam hanc adminiſtravit ſexennio.

A.C. Geysa subinde fatis functo MCLXI. in Comitiis publicis Ste-
1161 phanum III. ejus Filium Regem dixit. Non multo post, & ipse obiit, a belli, pacisque studio in posterorum animis victurus.

OMPUD

Palatinus Regni Hungariæ XIII.

Sub Stephano III. Anno 1165.

QUotquot Pro-Regum Hungariæ catalogum contexuerunt hactenus, *Ompudium* Bani etiam titulo insigniunt; verum ex nullo Scriptorum liquet cui Regno hac potestate præfuerit. Banis Croatiæ, Sclavoniæ, aut Dalmatiæ accenseri non potest: cum communi Historicorum sensu secundum Belum, quem ANNO MCXLII. Dalmatis Banum datum fuisse meminimus, Banatus officium vacaverit usque ad annum circiter MCCXX. si tamen Andream excipias, quem ANNO MCXCVIII. hoc munere functum ex Decreto Andreæ, Dalmat. Croat. Ramæ, & Culmæ Ducis, Fratrisque Emerici Regis Hungariæ, in quo Pharensis Episcopatus Michæ cuidam Spalatensi Canonico confertur, in paucis quidam eruditus advertit. Sed nec in numerum Banorum Machoviensium, aut Zewrinienſium a quoquam relatus est *Ompud*: conjectura proinde non plane rejicienda est, fuisse *Ompud* Banum aut Bosniæ, aut Sirmii: quos Banatus sub hæc tempora floruisse constat; posterior in Ducatum, prior in Regnum dein transiit. Sed jam ex ambagibus his ad alias.

1165 Ompudium jam ANNO MCLXV. Palatini munere functum fuisse validissimo argumento est diploma Stephani III. Regis, quo quibusdam civibus Posonienſibus immunitates largitur. Summa illius, quæ huc facit, est: *Istos homines inter suburbanos Posonienſis Castri existentes, quorum nomina sunt Ombud, Colou, &c. a Castrensi servitio subtraxi - - - Quæ causa, ut firma sit, præsentia meorum Nobilium, Lucæ Archi-Episcopi, Ombud*, sive Ompud, *Palatini Comitis, Laurentii Curialis Comitis, &c. per Vicennium, Notarium meum adscribi, & sigillo Regali affirmare præcepi.* Anno insequenti *Thomam* successorem habuit, ut testatur Jongelinus in suo catalogo Palatinorum.

Anno tamen eodem, quo Ladislaus Stephani Regis Patruus e vivis excessit, *Ompudio* Palatium Regis iterum patuit. Sub Stephano III. tantum Palatinus scribitur: forte in prælio contra Stephanum IV. Pro-Rege occubuit? memorat enim Bonfin. *tantam Nobilium cladem eo prælio patratam; ut nihil his temporibus Hungariæ miserabilius accidere potuerit.* Quanquam eorum sententiæ malim accedere, qui *Ompudium* salvum evasisse, ac dein etiam sub Bela III. jura pro Rege administrasse dicunt: præsertim cum nullus

ad

ad annum usque MCLXXXIV. munere hoc functus reperiatur. A.C.
Et quis credat? a Bela annis omnino decem Pro-Regem Hungariæ negatum, cujus primæ curæ erant ipso statim imperii principio, teste Bonf. & Ritio, ex Decretis Regum subjectos instituere; vim legum patriarum promovere: vitia, quæ intestini belli licentia intulerat, eliminare: judiciorum ordinem, & formam corrigere: abrogato more pristino, quo Reges ipsi auditis partibus publice jus dicere consueverant. Ex quo postremo opinio nostra non leviter firmatur.

THOMAS I.

Palatinus Regni Hungariæ XIV.

Sub Stephano III. Anno 1166.

QUa fuerit *Thomas* indole ex Patre ejus Samsone facile conjicies. Præcipuos is inter Proceres Bela II. regnante census, seditiosorum cætui conjunctus, multum spes Borichi & audacia, & consilio erigebat. Moræ impatiens, præliique avidus Regem, in tabernaculo cum Optimatibus agentem, ad dimicandum ut provocaret, maledicta inter, & convitia latronem, & canem vilissimum compellare non est veritus. Quin & adjecit: plus Borichi providentia, quam ejus cæcitate commodis Hungariæ prospiciendum; paterno proinde instituto in Cænobio viveret, Regno, ac solio quamprimum exesset. Non diu ad insolentem orationem duravit Regi, & Proceribus patientia: provocante Budo Comite in sacrilegum continuo irruunt; dumque is, ut manus insequentium effugeret, fluvium trajicere parat, a tergo gravi vulnere confoditur. *Thomas* cum Fratre Turdo non segnem operam Patri contra Belam Regem navabant. Libet istud Bonfinii testimonio confirmare, qui ubi conjuratos recenset, sic concludit: *& Samson, cui Thomas, & Turdo Filii erant, non minus nobilitate, quam virtute, viribusque præstantes: qui temerariam Patris audaciam admodum augebant.* Ex quo liquet acris, & inquieti animi *Thomam* cum Patre fuisse; verum effrænes hos spiritus ætas adultior temperavit.

Sub Stephano III. in Palatium Regium jus supremum consecu- 1167
tus MCLXVI. Pro-Rexque nominatus in Regni commoda solerter sexennio evigilavit. Ladislao II. turbas ciente, quas partes secutus sit, ab Historicis præteritum est. Illud certissimum, *Thomam* Pro-Regem sub Bela III. rursum floruisse, & Regias tabulas, queis Strigoniensis Ecclesiæ, & Archi-Præsulum jura, donationesque roborantur, ANNO MCLXXXVI. signasse. Reliqua viri gesta nos omnino latent.

A. C.

DIONYSIUS I.

Palatinus Regni Hungariæ XV.

Sub Bela III. Anno 1184.

CInnamo ſuperſtitem etiamnum ſui apud poſteros memoriam debet *Dionyſius*; domeſtici, quod ſciam, Scriptores nuſpiam ejus meminerunt. Virtutis bellicæ ſtudio jam ſub Stephano III. non Hungarico tantum, ſed & Græcorum imperio inclaruit. Emanuel Orientis Imperator, Hungariæ potiundæ avidiſſimus, cum cognationis jus (Mariam enim Filiam Belæ, Stephani Regis Fratri, in conjugem dederat) ſpem illi tenuem duntaxat Regni admitteret, aperto bello ut Cinnamus L. IV. ſcribit, Stephanum Regem petit; quod ipſum Niceta confirmat. Et bona fortuna a principio uſus, partim in Croatia, partim in Dalmatia uno quaſi impetu ſeptem, & quinquaginta urbes ſibi aſſerit.

Sementis hæc erat, quæ ſecundos belli eventus, & deinde polliceri videbatur Emanueli; nobis exitium ultimum. Et erat in hoſte potentia, quam formidare debebamus, ni ſorte admodum propitia *Dionyſius* nobis obtigiſſet. Exercitui is a Stephano Rege, Imperatoria cum poteſtate præpoſitus, non leviter ſpem Emanuelis labefactavit, erexit noſtram. Cum Græcis ſæpe congreſſus, cum victoriam de tam valido, & numeroſo hoſte referre non poſſet, ſapienti conſilio illud egit: ut vires ſaltem ejus, qua poſſet, attereret; progreſſum moraretur. Nec male ceſſere ſuſcepta conſilia principio: at vero non penitus ſe expedire dein poterant in ſumma rerum noſtrarum difficultate, quam multum auxit Leo Batatzes Dux Emanuelis. Hujus voluntate dum Valachi ex locis Ponto vicinis in Hungariam propulabundi invadunt; vires exercitus Regii alioquin modicæ, & jam bifariam diſtractæ, minuuntur. Ita rebus noſtris inclinatis ſpes nulla in armis jam ſupererat: *Dionyſio* proinde authore ad pacis cogitationes animum Rex applicat. Miſſi continuo ad Emanuelem Legati, pacem reduces magno Hungarorum & fructu, & gaudio retulerunt ANNO MCLXIX.

Atque hæc de *Dionyſio* Cinnamus. Quæ ab eo præterea geſta ſint, nuſpiam reperio. Iſtud ad viri tanti commendationem ſit ſatis: relatum eſſe a Bela III. in ſyllabum Pro-Regum Hungariæ una duntaxat virtute, duobus ſub Principibus jam probata, partes ejus apud Regem promovente.

MOGH

A. C.

COMES BACSIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XVI.

Sub Bela III. Anno 1188.

TRiplex dignitas *Moghum* in Hungaria excepit. Bacsiensibus Comitis nomine primum præfuit: Curiæ dein Regiæ ANNO MCLXVI. Judex datus a Stephano III. sub Bela etiam III. hoc munere fungitur, quod diplomate Jobo Archi-Episcopo Strigoniensi dato clarum sit, in quo cum Judicis Curiæ titulo Bela III. regnante, *Moghum* legere est.

Annus octogesimus octavus supra milles. & centesimum ad 1188
summam secundum Regem dignitatem *Mogho* reclusit aditum; agentibus enim gravibus ejus meritis, & postulante Optimatum corona Palatio Regio gubernando admovetur. Quinquennio tantum muneri huic superfuit, at permolesto illo: gemino quippe Rex impetitus ab hoste Venetis videlicet, & Polonis curas Palatini admodum auxit. Superstite etiamnum *Mogho*, post gravia bella fructu prorsus exiguo gesta cum primis inducias pacti sumus. Acrius urgebat Polonus; nec nisi Bela Rege Russiæ dominatu se abdicante MCXCII. pacem admisit.

Moghum seu *Mokum*, Pro-Regia dignitate fulsisse ANNIS MCXC. & MCXCIII. tum MCXCVIII. e diplomatis Regum Hungariæ exploratum habemus. Ex quo discas, Palatini munus in alios, atque alios devolutum, neque perpetuum ea tempestate fuisse. Juvat adferre epilogum postremi diplomatis; *Datum per manus Chatapani Agriensis Episcopi, Domini Regis Cancellarii. Anno incarnationis Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo: Venerabili Job Strigoniensi existente Archi-Episcopo, &c. Mogh Palatino Comite, Petro filio Turoy Curiali comite, &c.* Reliqua Palatini facta, juxta cum ignarissimis scimus.

A. N. ENYEDI REF. TANODA KONYVTARA

DO-

A.C. DOMINICUS I.

COMES BODROGHIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XVII.

Sub Bela III. Anno 1192.

1192 FElicibus auſpiciis Palatio Regio adſcriptus eſt *Dominicus* Anno ſecundo ſupra milleſ. centeſ. nonageſimum, tum quod anno eodem, ſumma omnium gratulatione, ut ſupra meminimus, cum Polonis fœderis religione ſancita ſit amicitia; tum, quod Ladislaus Rex per Cæleſtinum III. Pontificem Divorum ſyllabo ſit inſertus. Nec abludebat ab iis ſpectata Palatini virtus, dexteritas, & peculiaris prorſus in rebus agendis prudentia; ut adeo ſpebus optimis, & expectatione Regnum impleretur. Et tuitus eſt illam *Dominicus* multis pro Reipublicæ utilitate præclare geſtis, ſuperaturus etiam popularium vota: ſi vitam cum Pro-Regis dignitate produxiſſet.

Verum quadriennio vix evoluto extinguitur, ætate, & meritis gravis. Jam ANNO MCXC. judiciis ad Curiam Regiam ſpectantibus præfuit. Nec mirere, ſi hoc munere functum ſub Emerico Rege anno ſupra nominato uſpiam legeris; cum Emericus, ſive Henricus jam ANNO MCLXXXV. in vivis agente Bela Patre Regni inſignia acceperit, quod ipſum docemur publico quodam inſtrumento, cujus initium ſic habet: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXV. Indictione III. Domino Lucio Papa III. Apoſtolicæ Sedi præſidente: Domino Bela III. Hungariæ Regnum gubernante, & Henrico Filio ejus, eo vivente coronato, &c.* Timon in Epit. Chronol. ad ANNUM MCLXXXV.

FARKAS

Palatinus Regni Hungariæ XVIII.

Sub Emerico Anno 1196.

ERrores tantum de Magiſtratu *Farkaſſii* apud Hiſtoricos reperio. Jongelinus in eo lapſus eſt, quod illum ſub Bela Rege Pro-Regem dicat. Errorem Jongelini in ſua Miſcellanea P. Szentiványius ſubinde tranſtulit, ex quibus in catalogum Palatinorum, quem Corpus Juris habet, irrepſit. Hunc, aut certe ſequentem, primum fuiſſe reor Pro-Regem, qui ampliſſimo cum Regii Judicis no-

nomine extra ipsam Regis aulam jus administrare, atque etiam sen- A. C.
tentias pro tribunali dicere cæpit: munus quippe hoc Palatino sub ANNUM MCC. adjectum, in Præfatione jam meminimus. Seculo Imperii Hungarici primo res controversæ, & causæ ad arbitrium fere Pontificum & Mystarum referebantur, ut habet Imag. Novæ Hung. Cap. IX.

E S A U

COMES BACSIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XIX.

Sub Emerico Anno 1197.

HUjus Palatini nomen, & memoriam ab oblivione vin- 1197
dicavit Emerici, sive Henrici Regis insigne diploma, quo ille *Zerowium* quendam, filium *Sbima*, castri Posonienſis subditum, inter Nobiles Hungariæ retulit. Regiarum literarum clausula est hujus tenoris. *Datum per manus Magistri Katapatu* (in aliis diplomatis Kathapani est legere) *Albensis Præpositi, Aulæ Regii Cancellarii. Anno incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo septimo. Venerabili Job Strigoniensi Archi-Episcopo existente, Saul Colocensi Archi-Episcopo, Ungno Jaurinensi Episcopo, Esau Palatino Comite, & eodem Bácsiensi, Esau Curiali Comite, & eodem Seradiensi, Dionysio Comite de Suprun, Petro Comite de Bichor, Hermone Comite de Zounok.* Nec plura de ejus natalibus, aut rebus gestis apud Historicos quæras. In tenebris jacent omnia.

M I K E I.

Palatinus Regni Hungariæ XX.

Sub Emerico, Ladislao III. & Andrea II. Anno 1201.

PRo-Regi Esau succeſſor datus *Mike*, sub ternis Regi- 1201
bus Emerico, Ladislao III. & Andrea II. Regio Palatio præfuit. Anno statim initi Magistratus primo Andreæ Ducis, Hungariam miscentis, intemperies dulcem illum amplissimæ dignitatis gustum *Mikeo* eripuit. Regni is potiundi avidissimus, motus intestinos adversum Fratrem Emericum Regem concitarat MCCI. Nec id operose; a bellis namque in Dalmatia, Croatia, Servia, & Rascia feliciter gestis magnam sibi famam, & favorem popularium conciliaverat.

A. C. Sequebatur Ducem non vulgus tantum, sed & partem maximam, ut habet Bonfinius D. II. L. VII. Optimates; credo torrente isto & Palatinum subinde abreptum Andreæ partibus adhæsisse. Verum non multo post ad fidem, & obsequium cum cæteris rediit, laudabilique pœnitudine errorem correxit. Emericus enim, cum jam instructæ utrinque acies signum præstolarentur, Regio diademate, & trabea insignis medios in hostes se intulit, & apposita ad seditiosos usus oratione, ita perculit universos: ut positis armis clementiam Regis exposcerent, fidem pollicerentur.

1202 Flexerunt Regem; at Andreas Varadini in custodiam datur: sed & hic in libertatem non multo post Varadinensium opera restitutus, copulavit cum Fratre voluntatem, animumque ab odio, simultate, & regnandi cupidine ad amicitiam, pristinamque consuetudinem traduxit. Summa inde omnium gratulatio; sed quam suprema necessitas, quæ brevi Emerico Regi incubuit, momento abrupit. Secundum illam, *Mike* Palatinus Ladislaum, vivo jam Patre coronatum, Regem in conseſſu Optimatum renunciavit: pro quo, ætate quippe nondum maturo, Hungariam ex Patrii instituti rationibus, cum Andrea Duce, tutore etiam pupilli constituto, moderabatur.

1205 Semestri non amplius e solio præfuit Ladislaus, Viennæ immaturo fato MCCV. extinctus. Andreas continuo Regni gubernacula capessit: cui etiam vicariam operam *Mike* impendit, luculento sane virtutis suæ, tribus sub Regibus probatæ, testimonio.

CHEPHANUS

DE HEDER-VARA

Palatinus Regni Hungariæ XXI.

Sub Andrea II. Anno 1206.

1206 IN Familiam Heder-váriorum Palatini dignitatem primus *Chephanus* intulit; neque id gratia duntaxat Regis, aut popularium, sed virtute, quam ita apud Andream II. probavit, ut non se tantum, verum & Fratrem Pothum, quem & successorem accepit, dignum Regio Palatio redderet. Luculentum de virtute *Chephani* testimonium est, quod eum sanguini suo Rex innecti voluerit. Bertholdus Meraniæ, idest: Tyrolis, Carinthiæ, & Istriæ Ducis Filius, Reginæ Gertrudis Germanus, matrimonio se illigaverat; verum haud multo post tempore obtenta non leves ob causas divortii venia, virginem uxorem dimisit, Colocensibus dein infulis a Rege admotus. Dimissæ Bertholdi conjugi indultu Papæ Rex *Chephanum* maritum dedit, se una cognatione Heder-váriis junxit.

xit. Ex fausto hoc conjugio gloriæ multum Heder-váriorum A.C.
Domui accessit, quæ subinde in plures diffusa ramos, septenos e gremio suo Pro-Reges Hungariæ dedit, ut videbimus in decursu opusculi. Triennio tantum vicaria cum Regis potestate præfuit *Chephanus*: postremo, qui erat nonus supra millesimum ducentesimum, pro familia S. Benedicti cum Fratre Potho Abbatiam S. Jacobi, de Lében nuncupatam, in Comitatu Mosonienſi erexit: quæ subinde Cultoribus vacua pia Ferdinandi III. voluntate Jaurinensibus JESU sociis cessit.

POTH DE HEDER-VARA

COMES MOSONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXII.

Sub Andrea II. 1209.

PIæ in condendo Lébenienſi Asceterio *Pothi* munificen-1209
tiæ supra meminimus; ita ille ab aris Palatii Magistratum auspicatus est, quo functum illum jam ANNO MCCIX. docent literæ Andræ II. Regis, quibus significat, se a Gregorio de Crescentio Cardinali, Romanæ Sedis Legato Abbatibus Cænobii S. Benedicti, ad Granum amnem residentibus, impetrasse usum Pontificalium vestimentorum, & ornamentorum. Literarum extrema sunt: *Venerabili Joanne Archi-Episcopo Strigonienſi, Reverendo Bertholdo Colocenſi electo existentibus, &c. Poch* (Poth) *Palatino, & Mosonienſi Comite, Banc Bano, &c. existentibus Regni nostri anno quinto:* hoc est ANNO MCCIX. Triennio tantum Pro-Rex Hungaris præfuit *Pothus*, quo fere consiliis juvabat Regem contra Mescislaum Rutenum, a quo in arce Halicienſi Colomanus, Andreæ Filius captivus tenebatur. Nec male cesserunt Pro-Regis consilia. Missi ad Rutenum Legati, missionem Colomano certis conditionibus impetrarunt. Hæc *Cromerus L. VII. pag. 127.*

A.C.

BANK
COMES KŐJŐNIENSIS
Palatinus Regni Hungariæ XXIII.

Sub Andrea II. Anno 1212.

NIhil unquam mediæ fortunæ paſſus *Bank*, (aliis Bankbanus, ſeu Benedictus Banus) ſummis apud Hungaros ſub Andrea II. dignitatibus, verius: virtute militari, magnanimitate, & incenſo in patriæ commoda ſtudio inclaruit. Kőjőnienſes (malim Covinienſes, aut Kevejenſes) poſtquam magna cum laude Comes moderatus fuiſſet, præfectura Banatus Sclavoniæ augetur, ut teſtantur vetera Zagrabienſis Capituli ſtatuta, quibus eidem Capitulo prædium quoddam, ac poſſeſſionem ſat amplam, & opulentam ex patrimonio ſuo donaſſe memoratur. Et quamvis Magiſtratus hujus initi annus ex Scriptoribus certus erui non poſſit; clarum tamen eſt jam ANNO MCCIX. eum Banum fuiſſe, idque ex literis Andreæ II. in cauſa Abbatum Cænobii S. Benedicti datis. Quid hoc in munere geſſerit; Hiſtorici non prodiderunt. Pro-Rex circa ANNUM MCCXII. Hungariæ datus, uberem ſcribendi poſteris materiam reliquit.

1212 Cum Colomano Filio, ad ſolium ab Halicienſibus vocato, in Haliciam profectus Rex, procurationem Regni *Banko* tradidit. Quanta vir prudentia, fide, atque exiſtimatione apud Regem fuerit, jam liquet. Et vero reſpondit cum Regis, tum omnium expectationi: quando abſente Rege pacis perquam ſtudioſus tranquille omnia procurabat. Gloriam, quam inde ſperare *Bank* jure poterat, prope obſcuravit libido advenæ Gertrudis Reginæ Fratris. Salutem is Sorori dicturus in Hungariam venerat, atque per occaſionem in *Bankii* uxorem, formæ liberalis fæminam, & apud Reginam gratioſam impotenter adeo exarſerat: ut illata vi reluctantem violaret, deteſtandum flagitium non diſſimulante modo Regina, ſed opera etiam ſua promovente. Non diu fædatus ſcelere nefario thorus Maritum latuit, fæmina ipſa violatam pudicitiam, & ab Regina impuro lenoni ſe traditam profuſas inter lachrymas confitente, & vindictam poſcente. Atrocitas flagitii, & lamenta uxoris prope animum *Bankio* eripuerant. Redditus ſibi, Ducem lenonem neci deſtinat; eo fuga elapſo juſtum in Regina furorem explere conſtituit. Verum ne quid præcipiti conſilio abreptus moliretur, meditato facinore Joannis, Strigonienſis Metropolitæ ſententiam rogat; is cum ambigue reſpondiſſet: *Reginam occidere nolite * timere * bonum eſt; ſi omnes conſentiunt * ego non * contradico.* Probari ſuum ratus propoſitum, cum paucis armatis irrumpit in Reginam, Gertrudemque trepidantem trucidat. Et

Be-

Belam Reginæ Filium in necem quærebat; verum ſervavit Princi- A. C.
pem Salomonis Pædagogi vigil cura: in cujus facti præmium redux Andreas Comiti Miska, Salomonis Patri jus Pagi *Zelelgeh* perpetuum contulit.

Vix fama cædem Gertrudis vulgarat, cum ecce tumultu miſcetur Regia: ſicarius in necem petitur. Non infregit animos *Bankii* tempeſtas: infert ſe in tumultuantium agmen medium, confitetur facinus: at una cauſæ æquitatem inclamat, Regis denique tribunal appellat. Cum fruſtra eſſent omnia, atque jam etiam ſanguine ſibi junctos cædi partim, partim fugari accepiſſet: cedendum ratus tempori, furori tumultuantium ſe eripit. Rex interea reſtituto in ſolium apud Halicienſes Colomano Filio in Hungariam redierat. Siſtit ſe continuo *Bankius*, ſeriem, cauſamque una patrati facinoris ex ordine percenſet, utque violentas Reginæ manus intulerit, animoſe enarrat. Adjicit: promptum ſe ad ſupplicia quævis, ſi a Rege ex patriis legibus condemnetur; ſperare autem ſe quam optime non de clementia tantum Regis, verum & æquitate.

Diſceptatum aliquamdiu a Proceribus, Rege interea immoto vultu, ac velut fronte otioſa & Proceres, & *Bankium* excipiente. Cum eo res univerſa ſpectare videretur: ut Cauſa Pro-Rex caderet, abſolvitur ſententia Regis, jure Gertrudem conjugem ſuam cæſam videri pronunciantis; ut quæ ignoto ad hoc uſque tempus Hungaris flagitio Regiam contaminarit. Ita ſecuritatem clementia, & æquitate Principis *Bankius* conſecutus, recepit prædia. Andreas Principis clementiſſimi, una & æquiſſimi nomen adeptus, meruit in normam, & exemplum dari, ad quod mores ſuos poſteri forment, & effingant.

Unum, & alterum adjicere libet Lectoris gratia. In narratione cædis per *Bankium* factæ a Bonfinio, qui refert eam ad ANNUM MCCXVII. Rege jam abſente, atque expeditioni Aſiaticæ intento, receſſimus; verum non id temere a nobis actum. Dilucide P. Timon in Epit. Chronol. errorem ejus retegit, cum refert: Andream ANNO MCCXVII. priusquam trajeciſſet in Palæſtinam, jam novo conjugio cum Jole Petri Conſtantinopolitani Imperatoris Filia innexum fuiſſe. Qui igitur Gertrudis, rege expeditioni Aſiaticæ intento, cæſa? ſi jam ante hanc Jole Andreæ conjux. Non deſunt nobis plura, quibus ſententiam noſtram firmemus; verum inſtituti noſtri non eſt controverſum ſcribendi genus. Pauca tamen adferre debuimus: ne cui temere a Bonfinio diſceſſiſſe videremur.

Alterum eſt: Jongelinum Magiſtratum *Bankii* nimium produxiſſe. Scribit enim in ſuo catalogo, eum ANNO MCCXIX. Palatinum egiſſe. Verum diplomata, quæ ſuo loco allaturus ſum, adverſantur. Ex iis didicimus ANNO MCCXV. *Julam*, ANNO autem MCCXIX. *Nicolaum Giletum* Palatio præfuiſſe; ut adeo nobis nihil ſuperſit, quod de *Bankio* dicamus.

A.C.

JULA II.

COMES BODROGIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXIV.

Sub Andrea II. Anno 1215.

1215 JUlam jam ANNO MCCXV. Pro-Regis muneri admotum, planum facit diploma Regis Andreæ II. quo nonnullos e poteſtate caſtri Poſonienſis eximit. Extremum diplomatis habet: *Datum per manus Thomæ Præpoſiti Albenſis, aulæ Regiæ Vice-Cancellarii anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo decimo quinto: Venerabili Joanne Archi-Epiſcopo Strigonienſi, &c. Jula Palatino Comite Bodrogienſi, Joanne Bano, Simone Vaivoda, Ochucz Vacienſi, & Comite Curiali, Mycha Bihorienſi, Smaragdo Poſonienſi Comitibus.*

1217 Pacata erant Regno, & Pro-Regi omnia, uſque dum ſummus ſacrorum Antiſtes ad ſigna in Aſiam proferenda Hungaros provocaret. Rex ad ſacram expeditionem cum hortatu ſummi Pontificis, tum voto a Patre concepto, ac etiam ſponte ſua vehementer incitatus, delectum continuo per Hungariam habet, ac mox patrio cum milite diſcedit univerſi Chriſtiani exercitus Imperator, anno vertente ob afflictam valetudinem rediturus, ut habet Archi-Diaconus Spalatenſis, ejus ætatis Scriptor de exitu expedit. Aſiat.

Pro Andrea interim abſente, res Hungaricas moderatus eſt *Jula*, de quo ad ANNUM MCCXVII. ſic habet P. Timon e laudato Archi-Diacono: *Guncellus Hungarus ad Sedem Spalatenſem opera Gyulæ Bani, vel potius Palatini provectus.* Iſthoc ipſum liquet e Regiis literis, quas dederat ad confirmandas immunitates Zagrabienſis Epiſcopatus. In iis adpoſitum videmus nomen Palatini *Julæ*. Imo & anno inſequente eundem Magiſtratum tenuiſſe, tabulæ paris authoritatis probant. Hæc de Jula II. qui nunc primum apud ſeros Poſteros numerum facit inter Pro-Reges. Nam *Jula* cognomento *Magnus de Borthz*, de quo in tempore dicam, diverſus ab iſto eſt. Succeſſit Nicolaus I. Giletus.

NI-

NICOLAUS I. GILETUS A.C.

DUX SIRMII, ET COMES SOPRONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXV.

Sub Andrea II. Anno 1219.

MAgna hæc nomina e diplomatum fide tenemus: præ- 1219
clare facta pro utraque Repub. vitio Scriptorum ignoramus. Anno MCCXIX. Palatinis accensum, diploma Andreæ II. Regis prodit. Illo, Andreas Archi-Episcopo Strigonienſi, ejusque Capitulo donat fundos quoſpiam in Transylvania. Poſt *Joannem* Strigonienſem, *Ugrinum* Colocenſem Archi-Epiſcopos, aliosque Præſules Hungariæ, ſubſcripſerunt; *Nicolaus Palatinus Comes Sopronienſis, Julus Banus, & Comes Simegienſis, Ochuz Curialis Comes Reginæ, & Comes Bodrugienſis, Dionyſius Tavernicorum Magiſter, &c.*

Duobus, qui ſequuntur, annis *Nicolaum* Palatinum egiſſe, per- 1221
inde nos docent legitima inſtrumenta. Unum publicavit ipſe *Nicolaus* in favorem Archi-Capituli Strigonienſis, cujus initium: *Nicolaus DEI gratia, Andreæ Hungarorum Regis Comes Palatinus, omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem in Domino.* Clauſula vero: *Anno ab incarnatione Domini MCCXXI. regnante feliciter Hungariæ Rege Andrea, Domino Joanne Strigonienſi, & Ugrino Colocenſi Archi-Epiſcopis, &c.*

Alterum nobis lucem affundit, *Nicolaum* provinciam Sirmienſem nomine Ducis adminiſtraſſe, ac arcem ſuam *Frakno* novis, iisque prævalidis munitionibus auxiſſe. Hæc blattis, & tineis eripuimus. Reliqua veſtigantium induſtriam, pertinaciter luſerunt.

JULA MAGNUS DE BORTHZ

COMES SCEPUSIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXVI.

Sub Andrea II. Anno 1224.

INcuria Majorum noſtrorum, an? ſeculorum vetuſtate 1224
de *Jula* nihil ad nos pervenit. Verum plurima eum pro ſalute Regni egiſſe, belli, pacisque artibus, & æqui ſtudio ævo ſuo eminuiſſe argumento eſt: quod magni cognomen, viris duntaxat multorum facinorum gloria inſignibus, & Patribus Patriæ indi ſolitum ſit conſecutus. Palatio Regis admotus Anno MCCXXIV. ab Andrea Rege,

æquiſ-

A. C. æquissimo virtutum arbitrio, procurandæ Reipub. omnem operam impendit. Reperio eum in diplomate Regio, ad cujus calcem recensentur Proceres. *Datum per manus Cleti Agriensis Ecclesiæ Præpositi, aulæ Regiæ Vice-Cancellarii, Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto. Vacante Sede Strigoniensi, &c. Jula Palatino, & Comite Scepusiensi, Nicolao Curiali Comite Dominæ Reginæ, Ladislao aulæ Regiæ Curiali Comite, & Comite Nitriensi, Dionysio filio Dionysii Magistro Dapiferorum, & Comite Posoniensi, Michaele Magistro Agazonum, & aliis quam pluribus comitatus tenentibus, & honores.*

ANNO MCCXXVI. jura Pro-Rege alterum dicere jussus, ut Jongelinus ex documentis Monasterii S. Martini refert: subinde munere, & vita decessit, relicto sui ardenti apud populares desiderio.

PHILIPPUS

COMES DE SZEPES-UJVÁR

Palatinus Regni Hungariæ XXVII.

Sub Andrea II. Anno 1225.

1225 ANno supra millesimum ducentesimum quinto, & vicesimo in Magistratu Palatinali, Julæ Magno *Philippus* successor datus, triennio vicariam Regi operam in administrandis Patriæ rebus accomodavit. Id permoleste *Philippo* accidit, quod Andream inter, & Belam Filium erumpens nuper dissidii flamma apertam Regno perniciem minabatur. Seditionis causam præbuit Bela, dum Mariam conjugem, Laschari Græcorum Regis Filiam, cui biennio jam conjugio illigatus fuerat, præter voluntatem Patris dimisit. Auxerunt odium simultates, quas cum Malducco Cazetto, sive Caciclo Comite Almisiano, clam adversus Regem alebat. Non diu tulit ausus temerarios in Filio æqui, rectique amans Princeps; ejectum Regno, fortunis, & spebus, quæ audaciam Belæ ut plurimum ventilabant, exuit. Egit *Philippus* pro Principibus in pristinam concordiam reducendis: quod & deposcere videbatur ratio muneris, & honor Principum, & denique salus Patriæ, nunquam perniciosius nutans; atque inter tumultus, quos Rectorum alienatio excitarit. Sed nimirum frustra erant omnia apud offensum Patrem. Res dein ad Honorium Pontificem consentiente Palatino, ac Antistitibus perscripta, terminari ante MCCXXVIII. annum non potuit; quo demum Principes positis odiis conjunxerunt voluntates.

NI-

NICOLAUS II. DE BORTZ A.C.

COMES SOPRONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXVIII.

Sub Andrea II. Anno 1228.

NUdum duntaxat *Nicolai* hujus nomen e veteribus mo- 1228
numentis posteri legimus. Unde breve illius ex Jongelino elogium: Honorem Palatii Regii ab Andrea II. anno supra millesimum ducentesimum vigesimo octavo sibi collatum quinquennio sustinuit. Laconicum hoc scribendi genus injurium procul dubio viro tanto est; sed nimirum a culpa nos remoti sumus.

MOYS, SEU MOYSES I.

Palatinus Regni Hungariæ XXIX.

Sub Andrea II. Anno 1230.

PAr fortuna *Moysem* premit. Unum diploma Regis An- 1230
dreæ, quo Szatmárienſe oppidum eximiis immunitatibus ornat, omnem Historiam conficit. Juvat recitare postremam partem. *Datum per manus Nicolai Præpositi Albensis aulæ Regiæ Vice-Cancellarii, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo trigesimo, Regni nostri vigesimo septimo. Venerabilibus Roberto Strigoniensi, Reverendo Ugrino Colocensi Archi-Episcopis existentibus, &c. Moys Comite Palatino, Ladislao Comite Curiæ Regiæ, Comite Báchiensi, Petro fratre Marcelli Curiæ Dominæ Reginæ Comite, & novi castri Comite, Nicolao Magistro Agazonum Comite Sopronienſi, Luca Magistro Pincernarum, aliisque quam pluribus comitatus tenentibus, & honores.*

A. C. DIONYSIUS II. DE VIALKA DE HEDER-VARA,

Palatinus Regni Hungariæ XXX.

Sub Andrea II. Anno 1232.

1232 PRimos inter Duces ſemper cenſus *Dionyſius*, rei militaris peritia pluribus præliis inclaruit. Probatur ea non mediocriter Regi, armorum alioquin, & virtutis bellicæ perquam ſtudioſo; eam ut pro merito muneraretur, *Dionyſium*, jam ante Ordinum votis & ſuffragiis ad eam dignitatem vocatum Palatio ſuo admovet, ſuumque Palatinum renunciat. Vix provinciam hanc novus Pro-Rex adiit, & virtutis, & gloriæ oſtentandæ occaſionem reperit, eamque ſupremam. Fridericus Auſtriæ, Styriæque Dux, mobilis plane, & inquieti genii, atque ex acceptis ab vicino Hungaro damnis implacabili odio æſtuans, & ſpreta ſanciti nuper fœderis religione, Andream ſui, ac Regni ſecurum improviſo aggreſſus, rapinas & incendia per Hungariam circumfert, ac mox celeritate, qua poteſt maxima, gravis præda iter relegit. Non evaſit juſtas Regis iras.

1234 Ducenta armatorum millia non multo poſt noſtrorum in Auſtriam inſunduntur, trifariam ſecreto exercitu. Ductarat partem copiarum *Dionyſius*: qua ſubinde cæteris juncta cum Auſtriam, ut accepta nuper ab Hungaris damna cumulate redderet, fœde depopularetur, pacem maturavit. Placida adhuc *Dionyſio* fortuna; atrocior in eum, jam rerum potiente Bela, inſultabit.

Exorta nuper Belam inter, & Andream diſſidia Procerum complures in ſpem ſolii erexerant. Acceſſit temerario cætui & Palatinus. Et quia nihil in rem ſuam opportunius mutuis Principium odiis noverat; miris ſtudiis, & artibus, quas ambitio ſuggerebat, ſimultates promovere nitebatur. Andreæ partibus ad ſpeciem adhærens, Belam armis ad officium redigendum identidem monebat. Clam adhæc miſſæ literæ ad Fridericum Ducem Auſtriæ, quibus ad Regnum occupandum, provocabatur. Expeditæ & reliquæ machinæ, quibus Principes parum cauti Regno exui facile poſſe ſperabantur. Nec luſit fortuna principio conatus improbos. Progreſſu temporis ſeditionis flamma vi tanta erupit: ut jam prope Pater cum Filio in prælium rueret. At enim evoluto octennio, evolutæ & machinationes ſacrilegæ; dant continuo pœnas nefarii homines. Latuit tum quidem cum paucis conjuratis *Dionyſius*; ſed nimirum ad ſupplicium acerbius non ſine Numinis conſilio ſervatus, quod Andreæ obitus celeravit. Secundum illum latens diu ſcelerum ſator cum reliquo perduellium globo, authore quo? neſcio, detegitur. Supplicia continuo expediuntur; in carcerem compinguntur alii: alii Patrium ſolum vertere juſſi; imminutæ fortunæ

tunæ aliis, aliis prorsus ereptæ. Acerbius cæteris in *Dionysium* A. C.
tribunal Regium decrevit, nimirum: ut munere Pro-Regis dejectus, oculis orbaretur. *Hæc Bonfinius Dec. II. L. VIII. & M. Rogerius C. IV.* Ita e fastigio honoris præceps actus innovavit Belisarii historiam, inque Annales Patrios intulit, futurus posteris documento: non credendum fortunæ volubili, quæ ita in dies clientibus illudit suis: ut exempla rerum e fastigio devolutarum augeat, theatris mæstitiam identidem inferat. Diversum a nobis sentit Jongelinus in catalogo Palat. referens *Dionysium* cum Batho pugnasse etiam ANNO MCCXL. Hauserit istud e Bonfinio, qui de Bathi irruptione scribens ait: Palatinum vix evasisse e prælio. Id non de Dionysio, qui jam & Magistratu Palatii dejectus, & exoculatus fuerat, intelligendum; verum de Ladislao, quem Palatinum dicemus ad ANNUM MCCXL.

WILERMUS DRUGETH
DE HOMONNA
Palatinus Regni Hungariæ XXXI.

Sub Bela IV. Anno 1235.

Wilermus illustri, eaque pervetusta Drugethorum oriun- 1235
dus familia, splendorem natalium gestis pro Patria domi, militiæque rebus auxit; sed quæ non perfunctorie licet Annalium paginas vestigantis operam ita effugerunt: ut singillatim recenseri nequeant. Pro-Regum, qui dein Bela IV. Hungariam moderante numerosi censi sunt, ordinem ducit: titulo hoc amplissimo insignitus in comitiis, quæ anno trigesimo quinto supra millesimum ducentesimum elato Andrea II. ad Idus Octobres indicta, Belam IV. in solio, quod jam vivo Patre adiit, confirmarunt. Quinquennium in Magistratu Palatii *Wilermus* videtur exegisse. Meminit illius & Timon in Epit. Chronol. ad ANNUM MCCXXXV.

A. C. LADISLAUS I.

COMES SIMEGIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXXII.

Sub Bela IV. Anno 1240.

1240 Willermo ſucceſſor datus *Ladislaus*, anno Magiſtratus primo jus ad populum pro Rege dixit; altero, Tartarorum immani multitudine Batho Duce Hungariæ limitibus imminente e Palatio Regio in campum prodiit. Barbarorum quinquies centena millia prodiderunt Scriptores, quorum non pauci rapinis, & cædibus eorum deſcribendis bonas paginas impleverunt; nobis ſingula referre non vacat, ea duntaxat, quæ *Ladislaum* Palatinum concernunt, compendio recitabimus.

1241 Rex Bela de adventu Hoſtium admonitus, occurendum Batho tempeſtive ratus, Palatinum ad Portam Ruteniæ metari jubet; una in mandatis dat, evigilaret ſumma cura in eo: hoſtis ut ab ingreſſu arceretur. Concreditam ſibi totius Regni mandato hoc Regio ſalutem non ignoravit *Ladislaus*, ut qui probe noverat extremo Hungaros involvendos exitio, ſi ferocia Bathi ipſo in aditu non imfringatur. Extrema proinde pro ſalute popularium, ut erat incenſo in eos ſtudio, tentare decernit. Accurrit præcipite jam in ver hyeme, celeritate qua poteſt maxima, ad fines Ruteniæ; aditus, atque itinera congeſtis arboribus, & injecto lapidum acervo præſepit, auget foſſas, valla erigit, fideli cuſtodia late omnem viciniam communit, nihil denique eorum negligit, quod præſidio ſibi eſſe, Batho contra moram afferre poſſit. Nondum plene munitiones adornarat, cum barbarorum multitudine campos inundari conſpicatus, ad Regem continuo, qui tum Budæ cum Optimatibus de imminenti periculo in medium conſulebat, militem expedit, qui adventum hoſtis annunciet, auxiliares una copias ſubmitti petat. Declinabat interea ſapienti conſilio prælium; at Bathus longioris moræ pertæſus, unum illud ardebat; unde, cum nondum Palatini nuncius ad Regem pertigiſſet, elatis ſignis in noſtros invaſit.

Non erat id robur militis Regii, quod palmam Duci ſponderet. Ut tamen victoriam Bathi moraretur, atque etiam, qua licuit, hoſtile ferrum a cervicibus popularium depelleret, explicata acie manus cum barbaro conſerit, majori animo, quam fortuna. Cedentibus ſubinde tantæ multitudini ſuis, poſteaquam magnam partem militis, partim apud hoſtem captivam, partim cæſam, partim fugam reſpectantem conſpexiſſet, majorem vim veritus, & ipſe in effuſiſſimam fugam cum paucis reliquis ſe conjecit. Et is erat fugientium metus, ut non prius, quam ad Regem pertigiſſent, ſiſterent. Implevit mox Hungariam ſiniſtra cæpti prælii alea:

Regi

Regi novos metus, & ſollicitudines ingeſſit. Delectus continuo A. C. habetur; ſub ſigna concurrunt DEO ſacrati, & profani homines. Commiſſis tandem minoribus præliis victoria fere ad barbaros inclinante, propter amnem Sajo Rex cum Palatino metatur, hic denique ſummis conatibus pugnam inſtauraturus.

Et erat ea multitudo Regiorum, quæ hoſtem quemlibet eluderet, ſi uno animo res ageretur; verum fervebat campus diſſenſionibus, motibus inteſtinis miſcebantur omnia. Unde collatis non multo poſt utrinque ſignis, eo res tota ſenſim devolvebatur: ut noſtris per fraudem ab hoſte inopinato cinctis, una ſpes in fuga ſupereſſet. Rex amiſſo vectore equo prope palmas Tartarorum fato ſuo nobilitavit; verum gloriam hanc barbaro eripuit Andreas Forgácſius, quando gratia Regis, ſuæ ſalutis pulcherrimo ad poſteros exemplo incurius, equum, quo ipſe ferebatur, periclitanti Principi ſubſtituit, ſicque ab interitu Belam vindicavit.

Bartholomæo Quinque-Eccleſienſi Antiſtiti ſaluti fuit Pro-Rex *Ladislaus*. Secundum Belæ, & Colomani fugam interitum exercitus conſpicatus Præſul, quadrato equitum agmine in medios hoſtes illatus promptiorem ſibi fugam reddidit; impedire tamen non potuit: quo minus cæſis non nullis ſuis, non paucioribus captis & ipſe ſui ſpem barbaro faceret, ab inſequentibus prope comprehenſus. Eripuit tam nobile gaudium hoſti *Ladislaus*, Præſulem una rebus ſecundis ſervavit. Dum enim magno cum equitatu ad Regem feſtinans Tartarorum, Bartholomæum inſequentium, agmini occurrit; Antiſtitis miles amicis ſignis erigitur, conjunctus ſubinde illis, Tartarum ſuppetias formidantem receptui etiam canere cogit. Ita *Ladislai* adventu ſervatus Præſul. Quæ noſtrorum ſtrages procurſationibus his Tartarorum edita, qua clade affecti ſimus enarrat M. Rogerius Cap. xxx. prolixe, ſic demum concludit: *Hoc exitium, hæc pernicies, & hæc ſtrages* (interfectorum corporum) *tenebat duorum dierum itinera occupata; totaque terra erat ſanguine rubricata, & exiſtebant corpora ſuper terra, ſicut ſtant ad paſcua per deſerta greges pecorum: & ſicut in lapicidinis ſecti lapides ad ſtructuras.*

Secundum hanc cladem poſito Magiſtratu Palatii (quod regnante Bela invaluiſſe principio diximus) præfecturam Sclavoniæ cum poteſtate Bani adiit *Ladislaus*, ut in Arnoldo ſucceſſore ejus dicturi ſumus.

A. C.

ARNOLDUS

Palatinus Regni Hungariæ XXXIII.

Sub Bela IV. Anno 1242.

1242 JOngelinus *Arnoldum* catalogo Palatinorum non inseruit, nec ullus alius, quod sciam. Nobis in rem istam lucem attulit P. Timon, qui in Epitome sua ad ANNUM MCCXLII. postquam reliquos recensuit, qui ex clade ab Tartaris illata, superfuere, evasisse salvum scribit & *Arnoldum* Comitem Palatinum; quod ipsum apertum fit e diplomate Pharensibus dato, cujus epilogus in hunc modum exit: *Datum per manus Venerabilis Patris Stephani Episcopi Vaciensis anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, sexto Idus Maji, anno autem Regni nostri septimo. Venerabili Patre Bartholomæo Quinque-Ecclesiensi, &c. Dionysio Bano, & Duce totius Sclavoniæ, Arnoldo Comite Palatino, Paulo Comite Albensi, Mathæo Magistro Tavernicorum, Rolando Magistro Dapiferorum existentibus.* V. Lucium L. IV. C. V. Unde certum evadit, & Pro-Regem fuisse *Arnoldum*, & Patriæ adversus Tartarum propugnatorem.

STEPHANUS I.

Palatinus Regni Hungariæ XXXIV.

Sub Bela IV. Anno 1243.

1243 STephanum dignitati suæ, qua apud Scriptores Palatinorum excidit, nunc primum restituimus; & istud quidem beneficio diplomatis Crucigerorum, quibus Rex Bela ob navatam operam adversus Fridericum, amplissima privilegia indulget. En! clausulam diplomatis. *Datum per manus Reverendi Patris Benedicti Archi-Episcopi Colocensis, aulæ nostræ Cancellarii. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio: Regni autem Belæ Regis anno octavo. Venerabili Patre Stephano Archi-Episcopo Strigoniensi, &c. Radislao illustri Duce Galiciæ, & Bano totius Sclavoniæ. Stephano Comite Palatino. Laurentio - - - Rolando Judice Curiæ. Mauritio Magistro Dapiferorum, & C. Nitriensi. Chák Magistro Agazonum, & C. Suprunienſi, Bagon Magistro Pincernarum, Benedicto Musumiensi, Nicolao Szaladiensi, Nicolao Castri-ferrei, Henrico Simigiensi, Emerico Albensi Comitibus.* Nec plura nos sinunt commemorare de *Stephano* Pro-Rege, altæ illæ tenebræ, quibus involutus, nomen præcise posteritati reliquit.

DIO-

DIONYSIUS III. DE VIALKA A.C.

Palatinus Regni Hungariæ XXXV.

Sub Bela IV. Anno 1244.

ET hic *Dionyſius* ortum ſuum ad florentiſſimam Hedervariorum proſapiam refert. Patrem habuit Dionyſium I. de quo jam ſupra, acceptam ab hoc quaſi hæreditate magnam indolem multis ſtudiis excoluit: ac etiam fide in Majeſtatem Regiam conſtanti, qua Pater caruit, illuſtriorem reddidit. Ad binos, eosque ampliſſimos una virtute Duce eluctatus Magiſtratus, magna induſtriæ laude utriusque munia implevit, præclaram certe ſui apud bonos omnes expectationem cumulate abſolvit. Banus, duxque una Sclavoniæ renunciatus MCCXLI. ipſo Magiſtratus initi anno virtutis exercendæ occaſionem reperit, Tartaro infeſtis armis Hungariam miſcente. Ad amnem Sajo Regiis copias conjungens ſuas, progreſſus Bathi ſecundos non leviter morabatur; inclinatis rebus ſubinde noſtris, fugientis Belæ fidus comes Strigonium pervenit. Opinione majus hic periculum adiit. Tartari nondum clade ad Sajonem edita ſaturi, poſtquam Hungariam citeriorem percurſaſſent, in obvia quæque cæde, rapina, incendiis nullo ſexus, ætatisve diſcrimine ſævientes, Danubium glacie concretum ſuperant; nec multo poſt levi admodum impendio Strigonium, Budam veterem, & cætera minora loca ſolo æquant, theſauros diripiunt, funera cumulant. Vota furentium, an? rabiem vulgus primum minus cuſtoditum explevit; ſævitum deinde & in eos, quos melior naſcendi conditio e vulgo exemit: & quos ſanctior mens aris addixerat. Nullum ſecurum eſſe licuit. Promiſcue ſummi æque, ac infimi jugulantur pro mœnibus: violantur Divorum monumenta: veſtes, & vaſa ſacris Religionibus devota aviditati barbarorum cedunt: nihil denique, quod feritatis eſt, negligitur. Exitio huic, poſtquam Bathi copias egregie afflictaſſet, ſpe victoriæ acciſa cum Rege tempeſtive ſe eripuit in Dalmatiam *Dionyſius*, ut docet diploma Belæ IV. Pharenſibus datum, Spalatique mœnibus ſalutem ſuam interea tutabatur.

Sed nec hic quieto eſſe licuit Bano in bellum æſtuantibus Venetis. Jadrenſes defectione facta ab Venetis ad Belam recens deſciverant; quod ubi illis innotuit, continuo cum majoribus ſex, & viginti, vicenis aliis minoris molis navibus, cæteroque apparatu bellico Rainerum Zenonem expediunt, urbem ad fidem, & officium revocaturi. Feſtinatis ille itineribus Jadram contendit, arctiſſimaque mox obſidione, affuſo undique milite, urbem circumcludit. Nec male ceſſerunt ipſo ſtatim principio Venetis molimina; perfracta vaſtæ molis catena, quæ claſſem hoſtium a viciniore adi-

A.C. aditu prohibens non mediocriter Raineri progreſſus morabatur, urbi ipſi jam admovebant navigia, cominus in perfidos flamma, & ferro decreturi. Acciſæ hic ſpes Jadrenſium, collapſi animi; non item *Dionyſii* Bani, apud quem Bela, ſumma rei illi relicta, curas omnes, ac ſolicitudines depoſuerat. Exemplo is, & oratione animum militi, quem ex Hungaris, & Sclavis collectum habebat, aſpirans acerrime conatus Venetorum retundit, cives ſpe melioris fortunæ implet. Sed nimirum ad ictum Jadrenſes ſors iniquior deſtinaverat. Dum in hunc modum Ducis ac Militis fervent ſtudia, illud opportune hoſti accidit. *Dionyſius* fortiter dimicans, nec tantum Ducis, ſed & militis egregie functus officio, ſagittæ ictu ſaucius vulneri curando vacaturus extra urbem a ſuis deferri ſe jubet. Jadrenſes Ducem extinctum arbitrati, animis penitus collapſi a deſperatione conſilium capiunt, conclamatisque vaſis, qua cuique integrum fuit, certatim ſe ex urbe ejiciunt. Rainerus cum ſuis trepidatione civium calidior factus, majore vi obſtantes paucos urget, acrius muros quatit, ſcalas admovet, ac denique vi urbe potitur ANNO MCCXLIII. IV. Non. Jun.

1244 Jadram a Venetis ſubactam, & *Dionyſium* ex vulnere decumbentem doluit Rex, cujus virtutem in dies amplius probavit, & jam etiam Regia liberalitate munerari decrevit. Nec diſtulit benevolentiam deinde: in Hungariam, in qua jam reductus per Crucigeros Rhodianos, & Frangepanum nonnullos Regulos agebat, *Dionyſium* evocat, magnaque omnium gratulatione Pro-Regis titulo inſignitum Palatio ſuo adſcribit.

Verum non diuturna fuit Pro-Regis novi mora apud Hungaros, ſalute Illyrici ejus virtutem iterum reſpectante. Jadrenſes, qui nuper Patria ſua exceſſerant, Ducibus Comitibus Breberienſibus cum Tragurinis ſocietatem ineunt, junctisque armis, & viribus Spalatenſes infeſtant. Spalatenſes primum viribus diffiſi ſuis, dum injurias hoſti rependere nequeunt, fortiter tolerant; at poſtea Minoslao Bosnenſi Bano militem ſuum ſuppetias adducente, ad ultionem animati, in agrum Tragurinorum procurrunt ducentis civibus in captivitatem abductis. Pejora in dies timeri poterant. Miſſus proinde cum Bartholomæo Quinque-Eccleſienſi Epiſcopo in Illyricum *Dionyſius*, qui ſeditionem extinguat, pacem Spalatenſes inter, & Tragurinos conciliet. Egit rem primum leniter Pro-Rex; verum cum Spalatenſes de pace interpellantem obſtinatius rejicerent, arma etiam expedivit: adductis copiis urbem cinxit, ſuburbana exuſſit prædia, ac demum ad deditionem, & officium pervicaces redegit.

Atque hæc præclara *Dionyſii* facinora, quibus & Hungariam, & Illyricum ſibi devinxit, eum poſtquam Palatini munere defunctus fuiſſet, ad eundem Magiſtratum iterum ANNO MCCLII. plaudentibus omnibus evexerunt; ut liquet ex literis conſtitutionis Præpoſituræ Thuroczienſis, in quibus aperte nominatur *Dionyſius* Palatinus.

MI-

MIKE II. COMES BIHARIENSIS

A.C.

Palatinus Regni Hungariæ XXXVI.

Sub Bela IV. Anno 1246.

IN ſerie Palatinorum, quod ſciam, nullum locum ad hunc annum obtinuit *Mike*. Inſtrumentum literarium e MS. Hevenyeſſianis opportune in manus venit, quo hiatum explere, virumque illuſtrem in claſſem Pro-Regum poſſem reponere. Teſtatur illud, *Mike* Palatinum Hungariæ, ſimulque Comitem Biháriensem litem compoſuiſſe inter Decanum Demeſienſem, & Caſimirum filium Pancratii, de fundis *Csepel* obortam. Iſthoc fragmento minime quidem conſulitur fami legentium, aut dignitati Pro-Regis. Sed pertinaci Scriptorum ſilentio id tribuendum, qui conſcribendæ Regum Hiſtoriæ fere intenti, illuſtrium virorum facinora ſæpe numero præterierunt. Interciſis his fontibus, quid mirum? ſi tenuiores amnes areſcant. 1246

STEPHANUS II. DE CHAK

Palatinus Regni Hungariæ XXXVII.

Sub Bela IV. 1247.

CSákiorum gens e Regum ſtirpe, teſte Ferrario in vita B. Mauritii Csákii, oriunda; omni ætate bello, paceque clariſſimos viros apud Hungaros numeravit. Iſti primum in Szabolcsenſi provincia opibus, factorumque gloria creverunt. M. Joannes de Thurocz ab origine Hunnorum ſuam Hiſtoriam orſus, P. II. C. IV. de Csákiis hæc meminit: *Zabolch vero alius Capitaneus, unde Chaak oritur generatio, deſcendiſſe dicitur, in ipſo campo, & loco, ubi Csakvára nunc jacet deſolata. Illud enim caſtrum, Zabolch fundavit Capitaneus, quod poſtmodum Chak, ipſo mortuo, ſuo nomine a ſuis cognatis, & familia juſſit appellari. Primo quidem Zobolch dicebatur. Illud etiam caſtrum, temporibus Andreæ, Belæ, & Leventæ, filiorum Zaar Ladislai, per commune conſilium Hungarorum, eſt confractum.* Ampla tamen ejus munitio hodie quoque e terra eminet, & rudera oſtentat. Ex quo conficias, Csákianam Familiam jam ante ſeptena ſecula floruiſſe. 1247

Non pauci ex ea ampliſſimos quosvis Magiſtratus in utraque Repub. geſſere, ſi unam throni Majeſtatem demas. Præter Tranſyl-

A. C. sylvaniæ complures Vaivodas, Illyrici Banos, in censum veniunt Pro-Reges. Hic *Stephanus*, de quo nobis est sermo, Palatium sibi, suisque posteris auspicato aperuit ANNO MCCXLVII. Præ manibus habeo Belæ IV. literas Regias, queis Equitibus Hierosolymitanis (vulgo Crucigeris) in Hungaria, ea tempestate degentibus, tractum terræ Cumaniæ, & urbem Scardonam ad mare Adriaticum sitam donavit. Has *Stephanus de Chák*, sive Csáki, signasse legitur. Clausula in hunc modum concinnata est:

Datum per manus Achillis aulæ nostræ Vice-Cancellarii, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo: Regni autem Belæ Regis anno duodecimo. Venerabili Patre Stephano Strigonienſi, Benedicto Colocensi Archi-Episcopis, &c. Stephano de Chák C. Palatino, Radislao illustri Duce Gal. Bano totius Sclavoniæ, Rolando Judice Curiæ, Zeneslao Vaivoda Valachorum, de Chák Magistro Agazonum C. Suprunienſi, Nicolao C. Szaladienſi, Henrico C. Simegienſi, Benedicto C. Musomienſi, Severino C. Albenſi, Nicolao C. Castri-ferrei, & aliis quam plurimis Comitatus Regni tenentibus, & honores.

Illud hoc loco minime prætereundum: Radislaum Regii sanguinis Principem, & Ducem Galiciæ, sive Haliciæ, in omnibus diplomatis, quæ quidem mihi inspicere licuit, semet priorem Palatinis subscripsisse; non item in præsenti. Unde non vana opinio, *Stephanum Csákium* sanguinis claritudine Radislao parem, & dignitate Rro-Regis etiam superiorem, inter Barones, & Proceres Hungariæ, jure, meritoque familiam duxisse in subsignandis tabulis.

Anno uno, ut tum moris erat, administrato munere Palatini, locum cessit *Demetrio* Csáki.

DEMETRIUS DE CHAK

Palatinus Regni Hungariæ XXXVIII.

Sub Bela IV. Anno 1248.

1248 *Demetrium* Pro-Regum numerum auxisse sub Bela IV. Hungarorum Rege, tabularium Csákianæ Domus fidem affirmat. Annum quoque gesti Magistratus prodit, nempe MCCXLVI. Verum cum id temporis Mike Comitem Palatii egerit, & anno insequente Stephanus Csákius; in mentem venit, errorem vitio librariorum, in numerum adnotati anni irrepsisse, ponendumque ANNUM MCC. XLVIII. Nisi fortasse malis decedenti Mike, aut dignitate moto, eodem anno successisse *Demetrium*, quam vicissitudinem in aliis Palatinis, imo Regibus Ladislao II. & Stephano IV. habemus. Hæc controversia initi Magistratus, nihil officere debet, cum ejusmodi

modi lites de multis Judicibus Curiæ, Pro-Regibus inter Chrono- A. C.
graphos ferveant, nec facile amica pace componendæ.

Demetrium, uti & *Stephanum Csákios* adversus Tartaros pugnasse ad fluvium Sajonem, ac eandem fortunam cum Rege Bela expertos, opinamur magis, quam scimus. Thomas Archi-Diaconus Spalatensis C. XXXIX. in Historia Salonitana de fuga Regia in Dalmatiam, quæ in ANNUM MCCXLII. incidit, lucis quidpiam affundit: *Diversi diversa quærentes*, inquit, *diffugia, per omnes civitates maritimas, quæ propiores videbantur ad fugam, dispersi sunt. Rex vero, & totus flos reliquorum Hungarorum ad Spalati partes devenit. Erant in comitatu Regis multi Ecclesiarum Præsules, plures Principes, & Barones, reliquum vero vulgus utriusque sexus, & ætatis pene innumerabile. - - - Proceres quoque Curiæ isti erant: Dionysius Banus, Uladislaus Comes Curialis, Mathæus Magister Tavernicorum, Rolandus Magister Agazonum, Demetrius, Mauritius, & alii multi illustres viri, omnes cum Dominabus, & familiis suis.* Pronum itaque est credere, *Csákios* Regem constanti fide comitatos cum reliqua Nobilitate Patria.

Reduces in Hungariam ferro, & igne vastatam, educendis ædificiis strenuam operam cum Rege eosdem impendisse illud argumento sit, quod in insula Murakőz Szaladiensis provinciæ oppidum *Csák-Tornya*, seu Csákia Turris, circa ANNUM MCCLXXI. assurrexerit, impendiis *Csákii* (Demetrii ne, an Stephani? ambiguum) *Tavernicorum Regalium Magistri.* Cæterum uterque contentus stirpis suæ magnitudine, & muneribus gestis, perpetuitatem famæ absolvit.

ROLANDUS

COMES POSONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XXXIX.

Sub Bela IV. Anno 1251.

IOngelinus in suo catalogo Conradum quempiam Palatio præfectum fuisse ad ANNUM MCCLI. memorat. 1251
At Lucius Dalmata L. IV. C. IX. pag. 177. producto diplomate Belæ Regis, *Rolandum* hac nobili præfectura insignitum omnino ostendit. Non abs re fuerit extrema diplomatis adferre. *Datum per manus Ven. Patris Benedicti Archi-Episcopi Colocen. aulæ nostræ Cancell. Reverendo Stephano Archi-Episcopo Strigon. &c. Rolando Palatino, & C. Poson. Stephano Bano totius Sclavoniæ, Chák Magistro Tavernicorum nostrorum, & C. Suprun. Laurentio Vaivoda Ultra-sylvan. &c. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, nono Kal. Decemb.*

A. C. *cemb. Regni autem noſtri ſexto decimo.* Quapropter Conradi Magiſtratus alium in annum inciderit, aut in primos duntaxat menſes nominati anni. Verum cum nullum mihi inſtrumentum adſit, quo fidem faciam, rem controverſam in medio relinquo.

1252 Ut Dionyſium III. de Vialka rurſum Pro-Regem ad ANNUM MCCLII. ſalutatum, ita *Rolandum* ANNIS MCCLIV. & MCCLV. repetiiſſe Palatium diplomatum fide docebo. Primum accepit Pilienſis Abbas. Ei præter Antiſtites Hungariæ ſua nomina inſeruerunt:

Radislaus Dux Galiciæ Dominus Machovienſis, Gener Belæ IV. Hungariæ Regis, Rolandus Regni Palatinus C. Poſon. Henricus Judex Curiæ C. Simegienſis, Stephanus Banus totius Sclavoniæ, Chák Tavernicorum C. Suprun. Moys Agazonum Magiſter C. de Gosva, Nicolaus Dapiferorum, Bagon (alibi Bagin) Pincernarum Magiſtri. Datum MCCLIV.

Alterum impetravit Benedictus Archi-Epiſcopus Strigonienſis pro ſuo Archi-Capitulo, quo privilegium fori Strigonienſis ab Andrea II. nuper obtentum, authoritate Regis Belæ ſtabilitur. Adpoſita videntur Procerum nomina. Rolandus Regni Palatinus C. Poſon. Martinus Banus (nomen provinciæ omiſſum eſt) Chák Magiſter Tavernicorum C. Suprun. Sigefridus de Scender C. Albenſis, Stephanus C. filius Martini Bani, Philippus C. de Pilis, C. Jako Frater Martini Bani Canonicus Strigonienſis, Smaragdus Præpoſitus Albenſis Vice-Cancellarius. Datum ANNO MCCXLV. Num pluribus annis tenuerit Palatium *Rolandus?* non habeo dicere.

Erat vero *Rolandus* manu promptus, ſed plerumque infelix. Cum torrens ille Tartarorum Hungariam inundarat, Comitis munus apud Poſonienſes, Magiſter una Agazonum adminiſtravit. His nominibus ad expediendum pro ſalute communi ferrum animatus, ad Sajonem primum amnem ſe hoſti objicit. A fortuna, univerſæ tum Hungariæ infeſta, deſtitutus, cum Rege in colonias Trans-Danubianas ſe abdit. Hic rurſum cum immaniſſimo hoſte manus conſerit; illud tantum fortunæ adeptus, quod vitam e clade illa extulerit. Gliſcente in dies Tartarorum numero, cum nemo frontem obvertere auderet, Regem ſecutus eſt in Dalmatiam.

Reſpiravit ſubinde Hungaria turbine illo ſopito. At Fridericus Dux Auſtriæ citeriores provincias a Tartaris minus vexatas, fœde populatus eſt. Injuriam vindicaturus *Rolandus* acre prælium ad Neoſtadium ANNO MCCXLVI. committit. Noſtri inferiores, cæſo in ſingulari certamine Friderico, victorum plauſus temperarunt. *Rolandum* hoc, atque aliis præliis inſignem operam navaſſe, qui eum excepit, novus honor, dubitare nos haud ſinit. Redux quippe cum copiis in Hungariam, Judex Curiæ renunciatur. Dignitate iſta magna omnium approbatione functus, ſemel, iterum, ac tertio vicaria cum poteſtate Regis, Hungariam moderabatur.

HENRICUS I. A.C.

Palatinus Regni Hungariæ XL.

Sub Bela IV. Anno 1253.

BReve elogium nactus est *Henricus* apud Jongelinum. 1253
Henricus, inquit ille N. XXXII. *Regni Hungariæ Palatinus. Vixit anno Domini MCCLIII. sub Rege Bela IV. ut patet ex documentis Monasterii S. Martini.* Addo: *Henricum* evoluto anno uno, e Palatio in Curiam migrasse, & officium Comitis Simegiensis suscepisse. Tantillum Historici posteritati transcripsere! præter nuda nomina supereſt nihil; nisi fortassis unus, idemque sit *Henricus*, de quo proxime dicturi.

THOMAS II.

Palatinus Regni Hungariæ XLI.

Sub Bela IV. circa Annum 1260.

NUllus, quod sciam, Chronologorum est, ex quo an- 1260
nus certus Magistratus Pro-Regii a *Thoma* initi statui possit. A vero autem prorsus alienum non est, circa ANNUM MCCLX. eum provinciam hanc adiisse, cum passim accuratiores Chronologi ad annum hunc referant Abbatiam Erchiensem, a *Thoma* jam Palatino excitatam. Cistercienses illa primum habuit; anno dein MCCCCXCIX. Augustiniani juris facta est, ut adnotavit Scriptor Hungariæ suis cum Regibus.

HENRICUS II.

Palatinus Regni Hungariæ XLII.

Sub Bela IV. Anno 1263.

INconcussæ fidei, qua erat semper in Regem Belam, famæ suæ perpetuitatem debet *Henricus*. Bela adhuc in vivis agente, Stephanus ejus primogenitus insignia Regni volente Patre suscepit, Rexque una junior Hungariæ renunciatus est. Enata hinc dissidia, non nisi flamma, & ferro sedanda. Vilem se apud Hungariam ratus Stephanus, si modo nudum Regis nomen circumferret, Pater

A. C. interea leges dictaret, ſuoque duntaxat arbitrio cuncta moderaretur; exuere Patrem trabea meditatur. Nec hæſit diu intra nefarium conſilium; pollicitationibus amplis irretiti Proceres, atque Nobiles, magno numero ab Rege Bela ſe abjungunt, ſub ſigna Stephani MCCLXI. convolant: ut jam acceſſione tanta factus validior fidentius in Patrem arma ferret.

Henricus unus prope jam ſeditioſis deſiderabatur, quo ſe victores, Stephanum Regem ſuum proclamarent. In hunc proinde machinæ expediuntur omnes; & cum cauſæ æquitate Stephanus carere ſe probe noſſet, grandibus promiſſis *Henricum* onerat. Verum fruſtra ſunt omnia apud integerrimæ fidei virum; ab obſequio, & fide deduci non poteſt: quin & cum factioſo Stephani agmine ad vicum *Usvaſegh* pro Bela acre prælium init. Scriptores noſtri prælii hujus, quod ſciam, nuſpiam meminerunt; at vero manifeſte eruitur ex literis Stephani Regis, quibus ANNO MCCLXVIII. tres Fratres, Bihorienſis Caſtri colonos in numerum Equitum, ob rem in prælio hoc bene geſtam, adſcripſit; lubet adnectere ex his paucas lineas, ad propoſitum noſtrum ſpectantes: *Stephanus DEI gratia Junior Rex Hungariæ, & Dux Tranſylvanus, &c. Cum per Parentes noſtros extra meritum graves perſecutiones pateremur, & Caſtrum Feketheuholm* (Fekete-halom) *intraſſemus, defendentibus nobis, Baronibus noſtris, & aliis Regni Nobilibus fere omnibus, &c. Demum dum cum Henrico Palatino in Usvaſegh conflictum habuiſſemus, &c.* Fragmenti hujus verba poſtrema luculentum ſunt fidei ab *Henrico* ſervatæ teſtimonium. Qua fortuna autem is conflixerit, ſtatuere non poſſum. Si conjectura uti licet, Stephani copias non levi clade prælio illo attritas ut pronunciem, illud ſuadet: quod haud multo poſt tempore, Stephanus ad pacis ſtudia animum applicuerit, clementiam a Patre exorarit.

1263 Secundum hæc, ut debita meritis ſuis *Henricus* referret præmia, Palatio Regio adſcribitur ANNO MCCLXIII. Quanta vero integritate, aut quot annis ſupremum hunc Magiſtratum geſſerit? fruſtra Hiſtoriam Patriæ conſuluimus.

LAU-

LAURENTIUS I. POTH A.C.

DE HEDER-VARA

COMES SIMEGIENSIS, ET SOPRONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ XLIII.

Sub Bela IV. & Stephano V. Anno 1267.

VOlumen juſtum grandia *Laurentii*, viri apud Hungaros laudatiſſimi, geſta facile explebunt; ſi ea quis examuſſim referat. Nos ſolito compendio utemur, non tam prolixam narrationem exoſi; quam quod eorum Scriptorum copia deſtituamur, quibus particulatim, & curatius præclara *Laurentii* facinora prodita ſunt. Fragmenta duntaxat quædam Belæ IV. literarum inſpicere licuit; ex quibus hæc, quæ jam narrare aggredimur, deprompſimus.

Virtutem militarem iteratis adverſus Tartaros præliis illuſtratam, ex Illyrico redux multo illuſtriorem reddidit, reſumptis quater pro Rege armis. Daniel Rutenorum Rex, Ratislao Duci, Belæ Regis Genero Galiciam erepturus, infeſto agmine Jaroslavienſem vicum inundarat MCCXL. Non tulit deſiderari ſe *Laurentius*; in confertam Rutenorum aciem ſolita fortitudine illatus, eo uſque acriter dimicabat, dum accepto lethali vulnere loco cedere cogeretur. Vix dum vulnus in cicatricem abierat, arenam repetiit, neque niſi duplici facto glorioſus pedem inde retulit: poſteaquam nimirum e Ducibus Rutenis quendam, equo lancea deturbatum Ratislao ſtitiſſet: eidemque, cum amiſſo equo in aperto diſcrimine verſaretur, ſuum ſubſtituiſſet, neglecto vitæ periculo; quod iterum non multo poſt adiit, ſub caſtro quodam in Bohemia pluribus vulneribus prope confectus, quæ in diplomate quodam, vidiſſe ſe Rex ipſe teſtatur.

Cum Friderico etiam Duce Auſtriæ ad Neoſtadium Regiarum copiarum Ductor congreſſus, multa ſtrage edita injurias ab Alemannis Hungariæ illatas vindicavit: neque tamen ſine manifeſto rurſum diſcrimine, Superis ipſis ita virum fortem per adverſas vices ad faſtigium gloriæ ductantibus. Dum enim *magnanimi conſtantia, & conſtanti magnanimitate*, ut habet diploma Regis, cum Friderici milite manus conſerit, amiſſo equo vectore, medius in acie hoſtili relinquitur, indubie concidendus: ni patefacta ſibi medios per hoſtes via tempeſtive vitam ſecum extuliſſet; in Banatu Zevrinenſi utilem, eamque ſupremam Regi navaturus non multo poſt operam.

Banatus hic pars Valachiæ eſt. Parebat quondam Crucigeris Rhodiis; hi cum hoſtium, quibus tantum non quotidie circumcludebantur, vim formidantes provinciam detractarent, neque quis-

quam

A. C. quam Optimatum ea esset magnanimitate, qui eam moderandam, atque defendendam suscipere vellet; *Laurentio* summa ejus traditur sub ANNUM MCCLXIV. Qua fide, & virtute eam administrarit, colliget Lector ex literis Belæ IV. Regis ANNO MCCLXIV. datis, quarum partem hic subjicere libuit: *Cum Bulgarorum temeritas tempore gverræ* (vox admodum vetusta idem, ac bellum significat) *inter nos & Regem Bohemiæ, Ducem Austriæ, & Styriæ exortæ, Banatum de Zewrino hostiliter devastasset, & plerique de Baronibus nostris defensionem ipsius Banatus nollent assumere, per nos etiam diligenter requisiti, sæpe dictus Magister Laurentius collato sibi per nos ipso Banatu Bulgarorum devicit exercitum, ablatis spoliis, & prædis, quibus iidem Bulgari fuerant onerati: de quibus etiam quosdam in ripa Danubii fecit suspendi de patibulo: & sic ipsorum Bulgarorum protervia quiescente ipsum Banatum ad pristinum bonum statum, virtute permaxima restauratum nostræ restituit Majestati.* Apertius hinc magna *Laurentii* virtus eluceſcit, quam ut necessum sit quidpiam me pro eo adjicere.

Tanta virtus per dignitates amplas, nec paucas illas *Laurentium* ductavit; Mosonienses, Simegienses, & Sopronienses postquam magna virtutis commendatione rexisset, Curiæ Regiæ Judicis cum potestate præfuit. Ex curia in campum translatus, Regiarum copiarum Ductor pluries renunciatur.

1267 Inde redux magno Optimatum, ac totius populi gaudio jura pro Rege dicere jubetur ad ANNUM MCCLXVII. ut fidem perhibet diploma Abbati Tihánienſi datum. Demortuo Bela Rege, Pro-Regis nomine signavit tabulas Stephani V. Regis, quibus iste sacris Virginibus de insula Leporum oppida *Toxun, Zoich*, & *Kád* in provincia Pesztinensi sita donat. Initium sic habet: *Stephanus DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex.* Clausula: *Datum per manus Magistri Benedicti Præpositi Ecclesiæ Orodiensis, aulæ nostræ Vice-Cancellarii dilecti, & fidelis nostri. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo. Regni autem nostri anno primo.* Eodem tamen hoc anno Moys, sive Moyses successor erat, cui Stephanus Rex faciendi testamentum potestatem dedit. *Laurentius* subinde vita defunctus superstitem sui reliquit memoriam in Annalibus cum ob sua illustria gesta, tum ob filium Kemén Comitem de Baranya dictum, qui non tam in fortunarum Laurentii, quam virtutis hæreditatem secundum fata Patris venire merito videri potest. Meminit illius Timon in Imag. Nov. Hung. referens literas Ladislai IV. quibus dicto Kemén donationem quandam fecit; his etiam perhibetur præclare eum de Rege in diversis expeditionibus meruisse.

Jam ne & illud omittam, adjicio: non ignorare me controversum esse, num Palatinus *Laurentius* hic fuerit, de quo hæc pauca ex literis Belæ IV. potissimum excerpsimus. Ajo proinde, ne quid statuere temerarius videar, cum P. Timon, me tantum

arbi-

arbitrari hunc ipsum *Laurentium* esse de Heder-vára, atque Palati- A. C.
num admotumque muneri huic, postquam Banatum, ut habent Belæ IV. literæ supra recitatæ, virtute sua instauratum Regi restituisset. Neque obstat, nullis prædictis literis *Laurentium* nomine Palatini compellari; cum eæ omnes editæ sint ante ANNUM MCCLXVII. quo primum *Laurentium* Pro-Regem nominatum retulimus.

MOYS, SEU MOYSES II.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XLIV.

Sub Stephano V. Anno 1270.

ERrorem Jongelini de *Moyse* Palatino admissum, prima 1270
linea expedio. Quem nescio, is Chronologum secutus regnante Bela IV. ANNO MCCLXXII. *Moysem* Palatinum refert; cum tamen, quod accuratiores rerum nostrarum Scriptores habent, Bela jam ANNO MCCLXX. rebus humanis exemptus sit, & Stephanus V. ejus filius illico in Regni curas successerit. *Moyses* itaque Pro-Regis dignitatem adiit Stephano dominante, fere ad exitum ANNI MCCLXX. uti certum habemus e condito testamento illius. Eundem Palatini honoribus ornatum fuisse ANNO MCCLXXII. diploma Regium, quod Pontius per Hungariam, & Sclavoniam Crucigerorum Magister pro suis Alba-Regalensibus obtinuit, evincit. Illud est datum per manus Magistri Benedicti Orodiensis Ecclesiæ Præpositi, aulæ Regiæ Vice-Cancellarii ANNO MCCLXXII. octavo Idus Aprilis, Indictione quinta decima. Subscriptis *Venerabilibus Patribus Philippo Strigoniensi, Stephano Colocensi aulæ Regiæ Cancellario, & Joanne Spalatensi Archi-Episcopis, &c. Moys Palatino, C. Suprun. & Judice Cumanorum: Nicolao Judice Curiæ C. Simigiensi, Ægydio Magistro Tavernicorum C. Poson. Joachimo Bano totius Sclavoniæ, Mathæo Vaivoda Transylv. C. de Zeunuk, Laurentio C. de Babocha, Bano de Zewrino, C. de Doboka, &c.* Sed nondum evoluto ANNO MCCLXXII. Stephano ex hac vita migrante, Rolandus sub Ladislao IV. Pro-Regis præfecturam occupavit. Cæterum & sub Bela IV. floruit duplici a munere clarus, Judicis nimirum Cumanorum, & Comitis Soproniensium; sub quo etiam Cistercienſibus cum Fratre Comite Alexandro Cœnobium, de Abraham, sive Abran, honoribus Virgineæ Matris dicatum, in Bodrogiensium plaga erexit ANNO MCCLXX.

A.C. ROLANDUS BANUS MACHOVIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ & Judex Cumanorum XLV.

Sub Ladislao IV. Anno 1272.

1272 EX documentis tabularii montis S. Martini recte eruit Jongelinus *Rolandum* dignitate Pro-Regis ANNO M. CCLXXIII. floruiſſe; at vero in eo iterum labitur, quod Bela IV. regnante Rolandum Palatinum ſcribat. Ratio eadem, quæ in Moyſe & in *Rolando* contra Jongelinum pugnat. Rectius proinde dicemus Rolandum ſub Ladislao IV. jura pro Rege adminiſtraſſe, qui jam ANNO MCCLXXII. Stephano V. Patri vita functo in ſolio ſucceſſit. Confirmat id ipſum diploma, quo Ladislaus IV. Cunus dictus Laurentio Comiti Sopronienſi pagum quendam anno Regni ſui primo, Chriſti vero MCC. LXXIII. donat; in hoc utriusque Ordinis, ſacri ſcilicet, & profani viri nominantur, atque in his: *Rolandus Palatinus*, *Banus de Machow*, & *Judex Cumanorum*.

Imo jam anno proxime ſuperiore Palatinum fuiſſe *Rolandum*, reperio in authentico ſcripto Lectoris Archi-Capituli Strigonienſis nomine Sixti, qui fundum *Heten* in provincia Comaromienſi, eidem Archi-Capitulo ceſſit ANNO MCCLXXII. Poſt Philippum Strigonienſem, Stephanum Colocenſem, Joannem Spalatenſem Archi-Epiſcopos, cæterosque Hungariæ Antiſtites; adpoſuerunt ſua nomina: *Rolandus Palatinus*, *Banus Machovienſis Judex Cumanorum*, Matthæus Banus totius Sclavoniæ, Nicolaus Vaivoda Tranſylv. C. de Zonuk, Alexander C. de Urban Judex Curiæ, Henricus C. Vozora, & Só, &c.

Verum non uni tantum apud Hungaros juri pro Rege dicundo operam expendit *Rolandus*. Anno eodem, quo Palatio Regio, & Machovienſibus Bani cum poteſtate præpoſitus eſt. Moderabatur provinciam illam ante Bela Ladislai IV. avunculus, vir cætera laudatiſſimus, ni illuſtrem nominis famam proditionis labe maculaſſet. Quanquam & in hoc aliqua dignus venia ſit, ut qui non tam ab inquieto animo, quam torrente, qui prope totam Hungariam hauſerat, abreptus, in Ladislaum res novas moliri cæpit. Ut ut ſe res iſta habuerit, exitium illi maturavit. Ab Henrico Comite de Giſſing in Inſula Leporum interceptus, tanquam proditionis reus membratim dilaniatur. Perduellis non ſine maturo conſilio locum dein implevit *Rolandus*; nimirum ut deceſſoris errorem virtute ſua corrigeret: & quæ perfidia ejus in provinciam mala irrepſerunt, pulcherrima integerrimæ in Principem fidei laude emendaret.

CO-

COMES DIONYSIUS IV. A. C.

DE OKLICS

Palatinus Regni Hungariæ & Judex Cumanorum XLVI.

A. N. ENYEDI REF. TANODA KÖNYVTÁRA

Sub Ladislao IV. Anno 1274.

ANnum duntaxat unum in Magiſtratu Palatii Regii ex- 1274
egit *Dionyſius*, Rolando ANNO MCCLXXIV. ſucceſſor datus, ut patet ex literis Ladislai IV. quibus ratam habet commutationem villarum quarundam. Deprompſit has Otrocotius ex tabulario Strigonienſi; clauſulam earum, qua recenſentur nomina Primorum Regni, recitat P. Timon in Imag. Nov. Hung. C. III. Kőrmőndini memoriam ſui reliquit *Dionyſius*, ubi Guilelmitis Aſceterium a fundamentis excitavit: fundo etiam opimo adjecto, annus, quo iſtud beneficium ſacro huic Ordini præſtitit, ignoratur.

NICOLAUS III.

COMES SOPRONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XLVII.

Tolnaxini Carino

Sub Ladislao IV. Anno 1275.

NIcolaus, ſumma omnium Ordinum aſſenſione in Pro- 1275
Regem Hungariæ a Ladislao IV. cooptatus ANNO MCCLXXV. ut docent literæ, ex Archivo Aſceterii Montis S. Martini depromptæ; multum nominis ſui gloriam provexit tum potiſſimum; cum Rege in Bohemia contra Ottocarum pro Rudolpho Imperatore ANNO MCCLXXVII. dimicante, ipſe Hungariam, fidei ſuæ creditam communi omnium approbatione, & rara cum induſtriæ laude moderatus eſt. Ita florenti *Nicolai* gloriæ labem aliquam aſperſiſſe potuit Patris perfidia. Henricus is erat, Ratkajo teſte, dein ſub Andrea III. dicto Veneto, Croatiæ Banus, qui ut Bonfinius refert cum quibusdam Regni Proceribus a Bonifacio ſummo ſacrorum Præſide Carolum annorum undecim puerum, Caroli Siciliæ Regis Filium per Legatos expetiit. Enata hinc diſſidia, Andrea etiam deinde fatis functo ferro, & flamma ſæpius ventilata, nec ſanguineis, qui inde extiterunt, rivis ſatis extincta; ſed ad crudelem hanc

A. C. ſcenam melius infra Lectoris animum occupabimus. Cæterum & hanc qualemcunque labem paternam, integerrima in Principes ſuos fide obliteravit *Nicolaus*; pacato cætera uſus Magiſtratus ſui triennio, ſi motus nonnullos demas: quos non paucorum juſta in Ladislaum Regem, pellicibus Cumanorum aſſuetum, indignatio excivit; ſed & hos authoritate, & prudentia ſingulari, qua licuit, temperavit.

MATHÆUS I.

COMES SIMEGIENSIS, ET SOPRONIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XLVIII.

Sub Ladislao IV. Anno 1278.

1278 PAter Martinus Szentiványius in catal. Palat. *Mathæum* Pro-Regem ad ANNUM MCCLXXV. ſcribit; id ipſum in Corpus Juris ſubinde, & Hungariæ Chronicon, patrio idiomate contextum, translatum eſt. Ego malim cum Jongelino ANNUM MCCLXXVIII. initi a *Mathæo* Magiſtratus adſcribere, qui iſtud ex Archivo Cænobii montis S. Martini ſe deprompſiſſe refert. Bani officio apud Sclavos, priusquam juri pro Rege in Hungaria dicundo admoveretur, functum fuiſſe ſuſpicor. Et legere eſt *Mathæum* Sclavoniæ Banum ad ANNUM MCCLXXIII. in literis Ladislai Regis, Cuni dicti, quibus pagum quendam Laurentio Comiti confert. Nolim tamen iſtud, ut certum aſſeverare, quod cognomina ſæpe reticentes veterum Hungariæ temporum Scriptores, ita controverſum reddiderunt, ut qui dubium omne ſit potis eximere, dari nequeat. Certius iſtud: præter præfecturam Simegienſium, ac Sopronienſium pro tribunali apud Cumanos *Mathæum* ſediſſe.

Rara illi prudentia, & promptus ad conſilium in re quantumlibet ancipiti animus; quibus tum potiſſimum inclaruit, dum Ladislao Rege, jam alterum Rudolpho Imperatori ſuppetias ferente in Bohemia, ANNO MCCLXXVIII. Hungariam Regis nomine gubernavit. Ut jam ſupra cæpimus dicere, Rex Ladislaus pacis fœdere cum Cæſare ſancito, rerum ſuarum veluti ſecurus, totum ſe otio tradidit. Fœdis Cumanarum pellicum amoribus irretitus, ita curas omnes Regias a Regno ad voluptates retulit, ut jam facile quivis ruinam Regni perſentiſceret. Serpebat juſtus Procerum furor adhuc ſub cinere: cum Palatinus rem odoratus, ne in apĕrta prorumperet incendia, compoſitis tantiſper factioſorum animis effecit. Interea, ne forte intempeſtiva lenitate Regem, & Re-

gnum

gnum perditum iret, clam eum officii commonuit: dimissis mulier- A. C.
cularum amoribus in Regni commoda sedulo evigilaret: ex legibus Majorum suorum vitam, & mores institueret. Idem Nicolaus III. Pontifex per Philippum Firmanum Episcopum, Legatum suum, apud Regem agebat. Sed nimirum operosum est emollire animum, qui longa assuetudine veluti induruit, & percalluit ad vitia; adeo his ad meliorem mentem, vitæque honestioris institutum non revocatus est: ut etiam Legatum Pontificis, acrius forte scelera perstringentem in vincula conjecerit. Indignum facinus Pro-Rex execratus, Procerum consensu pervicacem Regem pariter in arctam custodiam inclusit, donec meliora de se sponderet.

Cumani interea Rege non jam benevolo, ut ante, usi, sive ut libertatem pristinam in lares suos revocarent; sive ut pro libidine sua, & Majorum instituto per rapinas, & spolia fortunas suas tenues admodum cum spebus erigerent, bellum in Hungariam Oldomiro Duce trahebant. Tempestas impendens curas *Mathæo* auxit; verum non eæ diuturnæ. Junctis cum Rege viribus, & animis ea felicitate in Cumanos signis collatis invectus est: ut non multo post propulsato a finibus Hungariæ hoste, pacem in Regnum reduxerit. Hæc dum ita strenue non minus, quam utiliter gerit, Magistratu Palatii decedit; an & vita? non satis compertum habeo.

PINTHA

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XLIX.

Sub Ladislao IV. Anno 1281.

A Diversis Scriptoribus diversi catalogi Palatinorum sunt 1281
editi; verum nullus, quod sciam, meminit *Pinthæ*; tabularum nempe, & diplomatum inopia, quorum mihi non exigua supellex. Nomen *Pinthæ* Pro Regis, iis literis insertum lego, quas Rex Ladislaus, de integritate vitæ, morumque Andreæ Agriensis Episcopi per Regnum vulgavit. Hoc innocentiæ testimonium adjectis nominibus ad calcem literarum firmarunt: Lodomerius Strigonien. Stephanus Colocensis Archi-Episcopi, Timotheus Zagrab. Dionysius Jaurin. Petrus Transylv. &c. Episcopi. Tum *Pintha* Palatinus Hungariæ, Laurentius Magister Tavernicorum Regalium, &c. *Datum per manus discreti viri Magistri Bartholomæi, Præpositi S. Martini de Scepusio, aulæ nostræ Vice-Cancellarii, dilecti, & fidelis nostri. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, Regni autem nostri anno nono.* Jam quæ decora sive pacis, sive belli in numerum

A.C. Pro-Regum attulerit *Pintha*, ne quæras. Unius diplomatis fide nomen tenemus, neque aliud invida fata nobis conceſſerunt.

NICOLAUS IV.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum L.

Sub Ladislao IV. Anno 1284.

1284 SI quod tempus, illud dubio procul, quo *Nicolaus* Pro-Regis authoritate Hungaros rexit, induſtrii, unaque conſilio, & dexteritate pollentis viri operam deſideravit. Ladislaus Rex cæſis, fugatisque Cumanis victor fortuna elatus ſua, ad vetus procacis vitæ inſtitutum rediit, atque idcirco ab Archi-Epiſcopo Strigonienſi Lodomerio, ut produnt quidam Hiſtorici, alii negant, diris devotus, inteſtinos motus in Patriam revocavit. Acceſſit ad calamitatem Hungariæ, quod hortatu ſummi Pontificis Rudolphus Cæſar, Wenceslaus Bohemiæ, & alter Wenceslaus Poloniæ Reges, Albertus item Auſtriæ, & Bela Sclavoniæ Duces in ſceleratum arma expediverint.

1285 Verum ut iſta abeſſent, Tartari nunc alterum Hungariam, Peſthinum uſque cædibus, & incendiis productis inundantes, ſat erant ad calamitatis ſummam. Hæc inter quo in patriam fuerit ſtudio Pro-Rex, apud Hiſtoricos non reperio. Statuere proinde de eo nec volo quidquam, nec ſi velim, poſſum. Illud perſpicuum eſt: difficillimis Hungariæ temporibus *Nicolaum* Palatio Regio præfuiſſe. Eum Simegienſem, & Albenſem provincias adminiſtraſſe ante, quam Pro-Rex fieret, author eſt Jongelinus.

NICOLAUS V.

COMES SIMEGIENSIS, POSONIENSIS, THOLNENSIS, ET ALBENSIS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LI.

Sub Andrea III. Anno 1293.

1293 AD ANNUM MCCXCII. *Nicolaus* hic a Szentiványio Pro-Rex ſcribitur; nos e ſententia Jongelini unum adjecimus. Cujus cognominis fuerit, non conſtat. Fuiſſe autem eum Henrici Bani Filium Jongelinus in catalogo Palatinorum teſtatur: quod ipſum non levi eſt ad conjecturam novam argumento; eundem nimirum hunc *Nicolaum*

laum esse, quem Pro-Regis dignitate ad ANNUM MCCLXXV. sub Ladislao IV. floruisse supra adnotavimus. Singillatim tamen ejus meminisse libuit; quod conjecturam nostram aliunde, excussis licet copiosis paginis, firmare nequiverimus Historicorum authoritate. A.C.

JOANNES II.

Palatinus Regni Hungariæ LII.

Sub Andrea III. Anno circiter 1298.

IN diplomate ab Andrea III. Rege, Cænobio S. Martini dato ANNO MCCXCVIII. legere est *Joannem* Palatinum, Henrici Bani, ut reor, filium; quem Annales Hungarici seditionem in Regem concitasse scribunt, Romana subinde authoritate firmatam; postea quam nimirum ab *Joanne*, cæterisque factiosis per Legatos compellatus Bonifacius Pontifex, gravissimo Apostolici Senatus consulto facto Hungariam Carolo Roberto (Caroberto) addixisset. Adjuncta in hunc modum ad consilia sua Bonifacii voluntate, audentior factus, dum Regem novum in dies præstolatur, cædibus interea, ac rapinis Hungariam, & Austriam miscet. Prodidit quidam, ut habet Timon, *Joannem* cælesti igne exanimatum vitam posuisse, & molitiones nefarias; at ultionis hujus Divinæ annus incertus est. Scriptor idem meminit etiam *Joannis* cujusdam ad ANNUM MCCCIV. eumque Wenceslao faventem Strigonium occupasse scribit; diripuisse adhæc omnia, DEO dicatas Virgines sacrilege maculasse, atque idcirco etiam anno altero anathemati subjectum. Eundem hunc esse *Joannem;* de quo nunc, inde conjicio: quod & hic Henrico Bano genitus fuerit. Nec obstat *Joannem* Caroli Pro-Regis partes secutum fuisse; fieri enim potuit, ut idem turbatis illis temporibus fidem Carolo datam exueret, Wenceslaoque adhærescens, partes ejus tuendas susciperet. Illud certum *Joannem* ultra biennium non prorogasse Magistratum. 1298

OPOR

A. C.

OPOR

Palatinus Regni Hungariæ LIII.

Sub Andrea III. Anno 1300.

1300 CReſcente in dies magnis auctibus Joanne Palatino, & Henrico Bano Ducibus conjuratorum agmine, inclinabat jam Andreæ fortuna; de fide tamen Regi data *Opor* deduci non potuit. Nihil apud virum eminentis animi, & adverſus odia, ac gratiam perinde obarmati partium minæ, nihil pollicitationes profecere: initis adverſum Regem Andream conſiliis ſubſcribere denique recuſavit. Provocavit ſpectata fides Regis animum ad gratias in virum conſtantem profundendas: nec diu benevolentiam ſuam deſiderari paſſus ille, *Oporium* ſumma cum Pro-Regis poteſtate ANNO MCCC. Palatio ſuo præficit. Anno inſequente Andrea veneno per conjuratos ſublato & *Oporium* Palatini munere deceſſiſſe reor; niſi quis malit eum deinde Wenceslao Bohemiæ Regi, cui pars Optimatum Regnum detulerat, adhæſiſſe, retenta etiam Regii Palatii dignitate. Non id a vero prorſus alienum.

MATHÆUS II. DE TRENCHEN

Palatinus Regni Hungariæ LIV.

Sub Wenceslao circa Annum 1302

1302 BOnam apud Scriptores *Mathæo* memoriam virtus ejus militaris meruit, cui ſi & fidem ſociam in Carolum Regem adjunxiſſet, in paucis Hungariæ Heroibus numerandus erat. Petro Trenchinienſi Dynaſta, & genere, & opibus per Hungariam viro ampliſſimo genitus, a prima adoleſcentia & animum, & induſtriam ad res militiæ contulit; merebat deinde ſub Andrea III. ſtipendia, utilem ſimul Regno adverſum hoſtium procurſiones navabat operam. Andrea neceſſitate fatali erepto, cum Wenceslao pars Optimatum major Hungariæ imperium detuliſſet; & ipſe ad fidem ejus tranſiit, nec ab ea unquam dein deduci potuit: quin etiam Caroli partium juratus hoſtis, ſuos in dies magnanimitate ad ſpes optimas erigebat. Et jam pejus in dies res Caroli inclinabant: tum quod Hungari Regem a ſe eligi, nec ab aliis electum recipi debere contenderent, atque eam ob rem in Carolo a Pontifice in ſolium elato, jura ſua violari clamitarent; tum quod Wenceslao faventes pro Rege ſuo rem ſtrenue gererent. Atque in his primas

ſem-

semper partes obiit *Mathæus*, qui & idcirco a Wenceslao Pro- A.C.
Rex nominatus est. Quando? annus certus ex Scriptoribus haberi non potest. Indubitatum tamen est ante ANNUM MCCCV. Palatini munere insignitum; neque enim sequentibus annis honor iste cuiquam conferri potuit a Wenceslao, qui jam anno supra memorato, Regis Hungariæ Magistratu se abdicavit.

Auctus nova Palatini dignitate *Mathæus* ad affirmandum Wenceslao Hungariæ imperium novos adjecit conatus; nec lusisset fortuna viri industriam, nisi quorundam Wenceslao hactenus adhærentium animos, summi sacrorum Antistitis imperia, & comminationes perculissent. Quod ut primum ad Patrem Wenceslai perlatum est, non cunctandum in re ancipiti ratus, Filium cum diademate Hungaris eripuit ANNO MCCCIII. Sementis hæc erat, quæ nova subinde protulit dissidia. Qui Wenceslaum sequebantur, erepto illo, partim Ottonem Bavariæ Ducem Regem Hungariæ consalutant; partim Carolo operam suam addicunt. Neutris adhæsit *Mathæus* in eo tantum solicite evigilans: ut ne Carolum pars adversa in solio stabiliret.

Hinc & ab comitiis ANNO MCCCVIII. celebratis, quibus in Carolum Hungari potissimum suffragia contulerant hac lege, ut ipsi eligerent, Legatus electionem ratam habeat, abfuit cum Ladislao Wajvoda Transylvano; quin & aperte repetitis procursionibus copias Regias invasit, semper formidandus. Credo spe Regni, facile turbulento illo rerum statu occupandi allectus, neutrum sequi Regem voluit, suis unice partibus intentus. Neque tamen unquam eum Regis dignitatem sibi arrogasse scio: quod autem Palatini titulum etiam ab excessu Wenceslai ex Hungaria usurparit, argumento sunt acta Dominici Gentilis Cardinalis, qui ad Regem Carolum confirmandum ANNO MCCCVIII. apud Pesthum in ædibus Familiæ Dominicanæ conventum egit. In his nominatur Pro-Rex *Mathæus*, ut tradit Odoricus Raynaldus.

Verum ad nomen hæc duntaxat; prolixius ea referenda, quibus seu spes suas potiundi Regni in dies provexit: seu fortunam tantum Caroli morari voluit. Quanquam etsi cætera pacem cum Carolo coluisset, illo se satis, superque hostem probarat: quod eos, quos seu pœnarum ob admissa scelera metus, seu fluxa fides a Carolo abjunxerat, in suam clientelam acceperit. Sed nimirum non isto limite inimicum animum circumscripsit. Ultra progressus, numero in dies suorum auctior, turbinis instar Hungariam pervolat: oppida, villas tristibus flammis in cineres redigit: ad Vagum deinde amnem belli sede posita, obsidione vicina loca fatigat, ac etiam sepulchrum S. Zoerardi depeculatur, Nitrienſibus, arcis muris solo æquatis, vastitatem infert. Atque hæc acta ANNO MCCCXI. ut *P. Timon in Epit. Chron.* narrat. Anno vertente nihilo remissius sæviit Dux factiosorum. Thomam Strigonienſem Metropolitam, qui cum potiore Cleri parte in fide, & obsequio Caroli erat, armis pertentare constituit. Et jam funestis flammis

A. C. villæ, & prædia Archi-Præſuli obnoxia collucebant: incolæ partim cædebantur, partim in vincula conjiciebantur: Caſtrum Berzencze everſum, triſti vaſtitate viciniam totam percellebat; cum *Mathæus* nondum tot malis ſatur, ut rabiem denique effunderet, infeſtis ſignis Strigonio, & Archi-Epiſcopo imminet. Ita ſacrilegus homo pro libidine ſacra, & profana miſcebat.

Juſta indignatio ad pœnas tot injuriarum repetendas Carolum excitabat. Verum bene cautus fortunæ ſuæ *Mathæus*, non ſe temere in copias Regias ingeſſit; dum tandem, Superis non ultra factioſi hominis arrogantiam ferentibus, ad Caſſoviam pugnam cum Regiis committere cogeretur. Fuit hæc, ſi quæ alia, fatalis Hungariæ. Certe a Tartarica, ad Sajonem amnem Bela IV. rerum potiente habita, nullam funeſtiorem fuiſſe Scriptores prodiderunt. Occaſionem belli, præter Caſſovienſes, qui Amadæo Palatino conciſo ad *Mathæum* deſciverant, dedit caſtellum quoddam Regium *Sarub* nomine, quod *Mathæus* occuparat, atque etiam Demetrio cum Præſidiariis impoſito, adverſus hoſtem firmarat. Rex, ne immodica ſua indulgentia illius audaciam foveret, caſtellum obſidione cingit. Non ſibi, & rebus ſuis deerat *Mathæus*; mille, ac ſeptingentos cataphractos equites cum juſta peditum manu, præter alios adverſum Regem ſolvendæ obſidionis gratia expedit. Et valuit ſuſceptum in arena conſilium. Carolus etenim adventu hoſtis, cui ſe imparem norat, animo dejectus, receptui cani jubet, ac mox feſtinato itinere progreſſus, Scepuſienſium muris, & fidei ſe cum ſuis credit. Horum ſubſidio auctus recepit animos, atque ad infringendam *Mathæi* audaciam conſilium ſuſceptum revocavit. Et ne hoſtis ignoraret, quibus jam eſſet viribus, Caſſoviæ imminebat ulturus crimen, cæſo Palatino Amadæo, a civibus admiſſum. Nihilo commoti Regis adventu Caſſovienſes, ſpebus ſuis, & ſalute in virtute *Mathæi* Ducis, ad cujus fidem ſe jam ante applicuerant, depoſita, copiis Regiis occurrunt: pugnandique ardore incenſi in campo Rozgonienſi metantur. Seditioſorum agmen ductabant Demetrius, & Abbas quidam cognomento Magnus, Mathæi Duces, Rex ipſe ſuis copiis præfuit, Rhodianorum auxilio jam validior.

Concurſum eſt XVI. Calend. Jul. initaque pugna tanta ferocia: ut primo congreſſu multi utrinque conciderent, multo plures tamen e Regiis deſiderarentur. Inſtaurato prælio, cædes primæ novis funeribus cumulantur, ſic tamen: ut infeſta iterum Regiis fortunæ vis, eorum potiſſimum robur accideret. Inclinare hactenus ad *Mathæi* partes videri poterat victoria: verum Regii, poſteaquam oratione Caroli confirmati, ardorem pugnandi reſumpſiſſent, ſeditioſi victoriam Regi reliquerunt. Nobilium pars magna hoc prælio utrinque occubuit; præcipuorum nomina recenſet Bonfinius. Ex perduellibus ſublati ſunt & Filii duo Amadæi Ladislaus, & Joannes. Vide *Bonfinium Dec. II. L. IX. & Thuroczium C. XC.* *Mathæus* cladem ſuorum ulturus, delectu rurſum habito animos

rece-

recepit, factionemque persecutus est. Meminit Timon viguisse A.C.
illam ANNO MCCCXV. & sequentibus, qui mortem *Mathæi* antecesserunt; Carolo interea magis solicito; ut ea, quæ sub ditione sua habebat, servaret; quam contra jus, & fas a *Mathæo* occupata eriperet.

Annus tandem MCCCXIX. funestæ seditionis facem *Mathæum* extinxit, Carolum una in spem pacis, & spem fortunæ melioris erexit. Elato illo, factiosi ad clementiam Regis non cunctanter se applicuerunt, fideique Sacramento se illi obstringentes, pacis studia sunt amplexi.

Adjicere libet fragmentum, ad rem nostram faciens, literarum ANNI MCCCXXVII. quibus Carolus Rex Thomæ Vaivodæ Transylvano, & Comiti de Zonuk (Szolnok interiore) jus contulit in villas quasdam familiæ Tserepiæ, & Feketeianæ, sic autem habet: *Volentes, & ex animo cupientes - - - eundem - - - Regii favoris nostri, & gratiæ plenitudine prosequi, & amplecti, &c. Damus ei possessiones Michaelis Filii Petri - - - infidelium, & manifestorum proditorum nostrorum, qui divertendo a via fidelitatis, nobis, & coronæ nostræ debitæ, Mathæo de Trenchinio, malæ memoriæ nostro infideli adhærentes, in conflictu, quem idem Mathæus una cum aliis nostris proditoribus, erecto suæ nefandissimæ præsumptionis vexillo in Campo Rozgun juxta fluvium Tarchca (Tartcza) prope nostram Civitatem, Cassa vocatam, nobiscum habuit; contra nostram Majestatem, utpote suum Dominum naturalem, hostiliter suilia arma moverunt, & demum in eadem sua infidelitate animo obstinato invincibiliter perseverantes, in contumeliam nostræ Celsitudinis mala malis semper cumulando, cum auxilio hominum dicti Mathæi inæstimabilia rerum damna, horrendas vastitates, infinita personarum excidia, & innumerabilia mala nobis, nostrisque fidelibus continuo irrogarunt, &c.* Hæc satis superque declarant & *Mathæi*, & asseclarum potentiam: ut jam non mireris vim tantam Carolum Regem formidasse.

AMADÆUS DE HABA

Palatinus Regni Hungariæ LV.

Sub Carolo I. Anno circiter 1308.

AD *Amadæum*, & consilio, & opibus virum apud Hun- 1308
gariam potentem devenit narratio. Magna erant in eo, quidquid spectes, omnia. Indoles ad summa quæque nata, rebus difficillimis etiam conficiendis par dexteritas; promptitudo consiliorum, virtus denique ea, quam in prima Magistratus Hungarici subsellia jure inferri oportebat. Inclaruit his non in Regno duntaxat nostro, sed &

A. C. apud exteros: ut jam Rex ipſe Poloniæ Uladislaus, Locticus dictus, in unius illius fide, & clientela arctis rebus ſuis ſecuritatem ſibi polliceretur. Sed ab origine iſtud repetamus.

Mores ab æqui, & recti ratione prorſus alieni, ignaviæ inſuper, & otii turpis conſectatio Uladislaum in Polonorum odia conjecit; ſubinde & Regno exuit, elato in ſolium Wenceslao. Et provehebatur in dies amplius Wenceslai factio; ut jam Uladislaus fortunam ejus magnis ſucceſſibus fluentem fugere cogeretur. In Hungariam cum paucis ſuorum fuga elapſus, ad *Amadæi* beneficentiam ſe applicat. Excipit Regem Hoſpitem pro ea, qua erat in omnes bene merendi voluntate, plane perquam magnifice: liberalitate eadem annis aliquot apud ſe commorantem poſtea proſecutus eſt. Hæc *Cromerus de Reb. Polon. L. XI. pag. 182.*

Interea cum Poloni non multo poſt animos demutaſſent; neque jam Regem nuper adductum ea voluntate, qua evocarant, ferrent, Bohemorum arrogantiam potiſſimum, & avaritiam peroſi; ipſeque Wenceslaus bello Hungarico pro Filio itidem Wenceslao diſtineretur, in ſpem recipiendi Regni ſe erexit. Nec diu occaſionem differendam ratus, conſiliorum ſuorum rationem *Amadæo* aperit: fidem una ejus, & auxilium depoſcit. Non tulit ille benevolentiam ſuam, & virtutem deſiderari; ſtudia ſua continuo Regi addixit, collectaque Hungarorum manu cum Uladislao in Poloniam infuſus bellum reduxit, terrorem undique circumtulit. Ultra minas progreſſus, ita brevi Bohemorum factionem infirmavit, ut jam fortuna ad partes Uladislai inclinare videretur. Nec multis deinde impendiis pro victoria agendum fuit, Polonis improviſo Hungaricarum copiarum adventu prope ſibi ereptis.

Amadæus conſternatione eorum in rem uſus ſuam, inſpiratis militi & voce, & exemplo animis, arcem, quæ ſub id tempus Eccleſiæ Cracovienſi obnoxia fuit, Visliciæ imminentem, ad ictum deſtinat; hac Uladislao aſſerta, Visliciam continuo obſidione cingit. Fortuna & hic bona conatus provehente præſidiarii Bohemi proturbantur: cives militem *Amadæi* pro novo Rege haud gravate recipiunt. Pari magnanimitate Leloviæ Arci, & oppido militem affundit; mox & arcem Biecz dictam circumcludit, utramque denique Uladislao adjunctam, eandem cum Vislicia ſortem ſubire cogit. Eximia viri facinora, relatæ tot de Polonis victoriæ, mirum in modum Uladislaum *Amadæo* obſtrinxerant. Crevit in dies apud Polonos Ducis tanti gloria, & amor. Uladislao unus ille in votis erat. Nec invitus operam ſuam ultro etiam commodaſſet *Amadæus*; verum quo minus ad propenſiſſimam ſuam in Uladislaum voluntatem rem conferret, tumultus ob Carolum Regem excitati nuper, & jam creſcente in dies factione aucti prohibuere. Reddidit proinde ſe Hungariæ diverſis partibus mirum in modum fluctuanti, atque, quod jam a principio turbarum egit, Carolum ſecutus, quo patriæ intemperiem ſedaret, conſilia omnia expedivit.

Ut

Ut in ſpes meliores operam ſuam locaret, Nicolao Cardinali A. C.
Oſtienſi, quem Pontifex ad aſſerendum Carolo Regnum in Hungariam Legati cum poteſtate miſerat, ſe adjungit, atque ita ſolicite curat omnia: ut ad ſummam induſtriam nihil ſibi reliquum faceret. Sed nimirum fruſtra erat obfirmatis ſeditioſorum animis. Rebus ita turbatis, atque nutante licet Caroli fortuna nunquam *Amadæus* ab eo ſe abjunxit: laudem idcirco viri conſtantis jure apud omnes Scriptores conſecutus.

Interea & Caſſovienſium diſſenſiones operam *Amadæi* deſiderarunt. Ad extinguendas eas ſumma cum poteſtate, Regis imperio Caſſoviam progreſſus, jurgia infirmavit; ſed quæ iterum inſtaurata mortem ipſi celerarunt, ut mox dicetur. Reducem, ad officium revocatis Caſſovienſibus, Pro-Regem a Carolo nominatum reor ad ANNUM MCCCVIII. niſi quis malit dicere: jam ante eum hac dignitate floruiſſe, quod plane a vero alienum non eſt. Ego cum iſtud nuſpiam reperiam, aſſerere non auſim.

Cæterum, ut ut res iſta ſit, Palatium Regium diu *Amadæo* incolere non licuit, fatis in virum integerrimum per ſcelera factioſorum conſpirantibus. Vix triennium ſe evolverat, cum ſedati nuper Caſſovienſium tumultus, majore atque ante ſtrepitu infremuerunt. Præſules duo ad dirimendas contentiones a Carolo Rege miſſi ſunt; aderat & *Amadæus*, at incertum, an? & nunc cauſæ arbiter, ut nuper, a Rege conſtitutus. Indubitatum illud: Pro-Regem Præſulum ſententiæ voluntatem ſuam adſcripſiſſe: Ladislao, & Joanne Filiis a Patre non abjungentibus ſe tantum, ſed & ita obſtinate reclamantibus: ut cum nulla vi de ſuſcepto propoſito dejici poſſent, diris etiam ab Præſulibus devoverentur. Contumaces, quod neque Regi, neque legibus ſe conformarent, Patris optimi functus officio gravi objurgatione perſtrinxit *Amadæus*; verum unde ad frugem redituros ſperare poterat, quin & debebat, necem retulit. Irritati quippe libertate tanta Filii, eam illi, conſiliis ſuis utique pernicioſiſſimam cum vita adimere decernunt, quoque facilius nefaria molimina evolvantur; cives efferatos in Patrem amplius accendunt. Non multis provocanda fuit in omne alioquin ſcelus ultro ruentium opera: facto continuo impetu virum inſontem multis vulneribus confodiunt, vita proturbant.

Sublati *Amadæi* fama non mediocriter Carolum Regem affecit, ſubinde acerbiſſimum dolorem in juſtam indignationem ſolvit. Injurias ſibi in Pro-Rege illatas ut ultione merita perſequeretur, bello Caſſovienſes appetiit, atque in eo multa clade edita, nece etiam pervicacium Filiorum Ladislai, & Joannis *Amadæi* Manibus parentavit. Exiſtimant nonnulli Scriptores, *Amadæum* tam crudeli exitu pœnas expendiſſe injuriæ, Mauritio Csáki illatæ.

E nobiliſſima is, & vetuſtiſſima apud Hungaros Csákiorum oriundus familia, Patreque Demetrio Bano genitus, mundi rebus valere juſſis, animum ad Religioſæ vitæ inſtitutum amplectendum adjecerat. Et jam annis provectior, fidem DEO datam implere

A. C. parabat; ſed paterno imperio prohibitus, *Amadæi* Filiæ vel invitus conjugio illigatur. Paruit tum quidem, quando reſiſtere integrum non erat; non mutavit conſilium. Triennio ſanctiſſime cum conjuge acto, eam denique ita in partem votorum ſuorum flexit, ut & illa cæleſtis ſponſi amore ſuccenſa Cænobio in inſula Leporum ſe concluderet, & illi Religioſum inſtitutum profitendi poteſtatem faceret. Ita ambo res ſuas mundum habere juſſerunt, ſeque uni Cælorum Domino, & legibus Divi Dominici addixerunt ANNO MCCCVI. Hæc, & alia de Mauritio Csáki, *Sigismundus Ferrarius Ordinis Prædicatorum, in ſua de rebus Hungaricæ Provinciæ ſacri ſui Ordinis Hiſtoria* prolixe pertractat a *C. XIX. ad C. uſque XXIV.*

Commovit non leviter *Amadæum* ſanctiſſimorum conjugum pietas: thorum Filiæ ſuæ deſpici ratus, Mauritium Ladislai Verneri Budenſium Prætoris opera veſte Religioſa exui, atque etiam in vincula conjici jubet. Crudele hoc imperium orbavit Religionis veſte Mauritium, animo Religioſo orbare non potuit: ab eo ſancta pervicacia cum non abſcederet, nec a propoſito demutaret, poſteaquam anno, & dimidio carceris illuviem tuliſſet, adverſantem ſanctiſſimis votis ſuis *Amadæum* denique expugnavit. Quare & accepta ab eo vota implendi poteſtate, ſacro Prædicatorum Ordini ſe reſtituit.

COPOSCHUS

Palatinus Regni Hungariæ LVI.

Sub Ottone Anno circiter 1308.

1308 EX actis Peſthinenſibus Dominici Gentilis, tituli S. Martini in montibus Presbyteri Cardinalis, tres Palatinos factioſis his temporibus circa ANNUM MCCC. VIII. Hungariam habuiſſe tradit Odoricus Raynaldus: Amadæum videlicet, Mathæum, de quibus jam dictum, & *Copoſchum*. Qua ratione iſtud accipiendum ſit, non ſatis convenit inter Scriptores. Franciſcus Otrocotius Amadæo legitimum Pro-Regis Magiſtratum attribuit; Mathæum a factioſis duntaxat Palatinum nominatum cenſet; *Copoſchum* apud Nobiles Archi-Epiſcopales tantum munere Palatini functum, atque adeo Archi-Epiſcopalium, non Regiorum Palatinorum catalogo inſerendum, ait. Sententiam Otrocotii de primis duobus amplexi ſumus; de tertio ſentire libet cum P. Timon, æquiſſimo in paucis rerum implexarum arbitro, qui *Copoſchum* Ottonis partes ſecutum, ab eoque Palatinum dictum, in Epit. Chronol. ad ANNUM MCCCVIII. refert. Verum dignitatem hanc apud ſeditioſos diu retinere non potuit, Ottone, in Bavariam unde venerat, prævalen-

lentibus Optimatum Hungariæ ſtudiis reverti coacto. Jongelinus A. C.
Copoſchum de numero Palatinorum in ſuo catalogo expunxit; forte ut Otrocotius, qui in Archi-Epiſcopi tantum ditione eum Pro-Regis munere functum arbitratur: quod idem de Szentiványio ſentiendum, cæterisque, qui ſecundum illum Palatinorum ſyllabum contexuerunt. At typis edito Jongelini catalogo, ANNO MDCCXLVI. inter Scriptores Rerum Hungaricarum T. II. ſuo loco repoſitus eſt.

DOMINICUS II. MAGNUS
DE HASZNOS
Palatinus Regni Hungariæ LVII.

Sub Carolo I. Anno 1313.

RAtoldiorum genere oriundum *Dominicum*, dictumque 1313
Magnum de Haſznos, & de Paſzta Jongelinus in catalogo Palatinorum adnotavit. Et huic turbata illa tribus ſub Regibus Hungariæ tempora virtuti oſtentandæ campum aperuerunt. A principio motuum Pontificia authoritate adductus, an? commodi ſeu privati, ſeu publici ſpe, Carolo adhæſit; neque unquam deinde fidem datam exuit, fortunam utramque, inclinato illo rerum ſtatu, ſemel, atque iterum expertus. Conſtans hic animus non parvam apud Carolum gratiam *Dominico* conciliavit: Palatium certe Regium illi aperuit jam ANNO MCCCXIII. Iſtud liquet e diplomate Caroli I. qui Rosnaviam ab Andrea III. Lodomerio Archi-Epiſcopo Strigonienſi collatam, rurſum Thomæ ejusdem Sedis Metropolitæ addicit. Diplomatis principium eſt tale: *Carolus DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis, ſalutem in eo, qui dat Regibus ſalutem.* Dimidium vero: *de conſilio Prælatorum & Baronum noſtrorum, Venerabilium Patrum Emerici Varadienſis, Auguſtini Zagrabienſis, Stephani Veſprimienſis, Nicolai Jaurinenſis, & Georgii S. Irenei, & Keü Eccleſiarum Epiſcoporum, & Magiſtri, ac Palatini Dominici, Magiſtri Tavernicorum Dominæ Reginæ* (Catharinæ) *chariſſimæ conſortis noſtræ, datam poſſeſſionem Rosno-Bányám eidem Archi-Epiſcopo* (Thomæ) *& Archi-Epiſcopatui Strigonienſi ex nunc de novo eodem jure duximus conferendam.* Epilogus: *Datum per manus diſcreti viri M. Joannis Albenſis Eccleſiæ Præpoſiti, aulæ noſtræ Vice-Cancellarii, & Archi-Diaconi de Kükölü, dilecti, & fidelis noſtri. Anno Domini milleſimo trecenteſimo tredecimo, in nonis Novembris, Regni autem noſtri anno ſimiliter tredecimo.*

Et

A. C. Et moderabatur illud ſemper fide in Carolum optima, ut adeo dignum ſe pararet poſterorum bona memoria, niſi fidei in legitimum Regem Carolum integerrimæ, laudem ſcelere jam ante maculaſſet. Id quod P. Timon ad ANNUM MCCCI. in hunc fere modum eveniſſe refert. Seditioſi, qui per Legatos pro Rege novo Pontificem appellarant, cum vix Andrea vivo, ob ejus potentiam, Carolum in ſpem Regni firmam venire poſſe confiderent; conſilia nefaria ineunt de morte Andreæ conſciſcenda. Primas curas ſumpſit ſceleris conficiendi *Dominicus* cum Demetrio; uterque opibus, & dignitate tum potens. Nec diu intra conſilia ſcelus delituit. Servitium quoddam de gente Itala ad cædem patrandam deſignant; ab hoc, cum illitus veneno culter Regi utendus porrigitur, ſecurus ille ſui, neque metuens quidquam, vita proturbatur. Floruit *Dominicus* ad annum usque MCCCXXI.

PHILIPPUS DRUGETH

DE HOMONNA

COMES SCEPUSIENSIS, ET DE ABA-UJVAR

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum

LVIII.

Sub Carolo I. Anno 1322.

1322 EX ampliſſima Drugethiorum Domo traxit ortum *Philippus*, ſplendorem una Natalium; ſed quem, probe gnarus veræ laudis in naſcendi genere nihil ineſſe, multis, iisque honeſtiſſimis acceſſionibus virtute propria locupletavit. Corrupto, ut mihi videtur, vocabuli Drugeth uſu, a nonnullis & Dongeth, & Donch cognomen accepit. Progreſſu vel maxime turbatorum illorum ſub tribus Regibus temporum Caroli Regis ſtudia, & benevolentiam ſibi demeruit, qua ſubnixus, meritorum accedente ſuffragio, in Palatinis cenſus eſt ANNO MCCCXXII. ut docemur libello donationum a Carolo Rege, Lamberto Abbati de Pécs-Várad Ordinis S. Benedicti miſſo.

Ille præter numeroſos Antiſtites, profanæ Reipub. Optimates exhibet; videlicet: *Philippum C. de Scepus, & Ujvár Hungariæ Palatinum*, Magiſtrum Lambertum Judicem Curiæ Regiæ, C Csanadienſem, & Arvenſem, Thomam Vaivodam Tranſ Ivaniæ, & C. de Zolnok, Demetrium Magiſtrum Tavernicorum C. Trenchinienſem, & Bacſienſem, Nicolaum Banum totius Sclavoniæ C. Sopronienſem, & de Komárom, Paulum Magiſtrum Tavernicorum Dominæ Reginæ C. de Saár, Desö Judicem Curiæ Dominæ Reginæ,

næ, Blasium Magistrum Agazonum, Dionysium Magistrum Dapife- A.C.
rorum, Nicolaum C. Posonienſem, Joannem C. de Baranya. Signatus ANNUS MCCCXXII. Fortunæ Mathæi perduellis sub ipsum Regii Palatii ingressum Philippo curas injecerunt; iis voluntate Regis in bene de patria meritos distributis, otii non nihil nactus est, pacatis etiam subinde per Hungariam rebus.

Magistratu Pro-Regis defunctum *Philippum* ad ANNUM M. CCCXXVII. pro comperto habeo, cum in pluribus diplomatis consequentis anni dignitatem Palatinalem vacantem legam. Adjicio clausulam Regiarum literarum, quas Andreas Budensis Præpositus abstulit maximo emolumento sui Capituli. *Datum per manus discreti viri Magistri Endre* (Andreæ) *Albensis Ecclesiæ Præpositi aulæ nostræ Vice-Cancellarii dilecti, & fidelis nostri. Anno Domini MCCCXXVIII. IV. Cal. Maji, Regni autem nostri similiter XXVIII. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Boleslao Strigoniensi, & Fratre Ladislao Colocensi Archi-Episcopis, &c. Magnificis viris, dignitate Palatinali vacante, Paulo Judice Curiæ nostræ, Thoma Vaivoda Transylv. C. de Zonuk, Michaele Bano totius Sclavoniæ C. Simegiensi, Desö Judice Curiæ Dominæ Reginæ consortis nostræ charissimæ, &c.*

Vixisse eum ad ANNUM MCCCXXX. ac socium fuisse Carolo Regi in expeditione Valachica Scriptores Patrii videntur innuere. Vis primum admota est arci Zeurinensi, sive Szörenyiæ, nec multo impendio ad deditionem redigitur. Fortuna ingressu belli ita propitia, in eam spem Regios impulerat, ut jam nihil non secundi conatibus suis pollicerentur. Bazaradus regionis Princeps Regem de pace appellat: oppidum captum ultro se Regi permissurum, filiumque pro vade obsequiis Caroli se addicturum spondet. Nihilo pacatior Carolus castra sua Valachiæ propius admovet. Intra montium claustra primum rerum inopia conflictatus, postea ad internecionem cæditur. Succiso exercitus robore, prope erat, ut in manus hostium veniret. Mutata veste cum Desö Judice Curiæ præsentissimo periculo semet eripuit. Nutantem Regis fortunam multum tutatus est *Philippus*, dum fidissimus comes latus Regium perpetuo stipabat. Lætus viri fortitudine, & fide, profecturus in Siciliam, ut filium Andream in Regem Siciliæ inauguraret, eundem comitem itineris delegit. An isthic dein fatis cesserit? an se cum Rege patriæ suæ reddiderit? ex Annalibus eruere non licuit. De his prolixe *Bonfinius Dec. II. L. IX.* & *Thuroczius C. XCVII.*

A.C. JOANNES III. DRUGETH DE HOMONNA

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LIX.

Sub Carolo I. Anno 1330.

1330 ANnus idem, qui Palatium Regium *Joanni* aperuit, & tribunali eum admovit. Et corripuerat tum ſcelus Regiam, quod nonniſi decretis per ampliſſimam Palatini poteſtatem ſuppliciis expiari poterat. Felicianus Zachius, non nullis Mercz dictus, Mathæi de Trenchén quondam aſſecla, furore neſcio quo amens Viſſegradi in Carolum Regem, una & liberos ſtricto mucrone invaſit Calend. Maji. Fruſtratus ictum, dexteram Regis levi vulnere ſauciavit. Ne ultra vulnus iſtud furentis inſania procederet, Joannes Alexandri Patochi filius Reginæ miniſter effecit. In furentem is gemina cum magnanimitatis, & fidei laude primus opportune irruit; accedentibus dein plerisque ex Prætoriana cohorte militibus ſacrilegus diſſectus, & membratim diſtractus eſt. Non adfuiſſe deteſtando Zachii flagitio Pro-Regem *Joannem* ex Annalibus noſtris conjicio; verum Nicolaus, ejus Filius, tum Filiorum Regis Pædagogus pro Patre virum egit; quando cum Chenerico Gyula proprii corporis objectu, curæ ſuæ creditos Principes protexit, atque etiam ab interitu vindicavit. Et hoc eſt glorioſum illud facinus, quod ſubinde in illuſtris Homonnajorum Proſapiæ inſignia ſturnos retulit, ita nimirum Regia benevolentia decernente Carolo, ut beneficii ab Nicolao domui Regiæ præſtiti nunquam non extaret memoria. Sed nec *Joannes*, ut primum de ſcelere ad eum perlatum eſt, ſe deſiderari tulit. Illico pro tribunali in Feliciani ſocios, & cognatione junctos ſevera edixit ſupplicia; quo parum fideles in Regem, ſi quos adhuc fallax ingenium tegeret, ad officium revocaret; cæteros in obſequio Principis confirmatet. Jongelinus Magiſtratum *Joannis* ad ANNUM MCCCXXXIII. producit: Szentiványius & trigeſimum quartum adjicit; recte, ſi primos menſes intelligas.

GUI-

GUILIELMUS A.C.
SIVE
VILHELMUS DRUGETH
DE HOMONNA

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum
LX.

Sub Carolo I. & Ludovico I. Anno 1334.

AB Anno MCCCXXXIV. ad annum usque MCCC.1334
XXXIX. *Vilhelmum* jus pro Rege apud Hungaros dixisse non tam e patriæ Historiographis, quam diplomatum authoritate perspectum, exploratumque habeo. Intertexere hic lubet postremam partem privilegii Sanctimonialium de insula Leporum. *Datum per manus Magistri Catamerii Albensis Ecclesiæ Præpositi, &c. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto, sexto Idus Decemb. &c. Magnificis viris Willermo* (Vilhelmo) *Drugeth Palatino, Demetrio Magistro Tavernicorum nostrorum, Thoma Vaivoda Transylv. C. de Zonuk, Paulo Simonis filio Judice Curiæ nostræ, Michaele Bano Sclavoniæ, Joanne Bano de Machow C. Sirmiensi, Paulo Magistro Tavernicorum Dominæ Reginæ consortis nostræ charissimæ, Dionysio Dapiferorum, Stephano Agazonum nostrorum Magistris, Nicolao C. Poson. & aliis quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.*

Egisse eum ex veteri Homonnajorum instituto pro Regni commodo plurima quis addubitet? nisi injurius illustri Prosapiæ esse velit: nihil tamen ex iis in Annales nostros relatum comperi. Certe ad Annum MCCCXXXIV. Joannis Bohemiæ, & Casimiri Poloniæ Regum conficiendæ pacis gratia apud Carolum Wissegradi congressus, optimis *Guilelmi* in patriam studiis campum aperuit. Et quis adeo temerarius sit? qui ad fœdera stabilienda & illum operam contulisse inficietur. Ego profecto induci non possum, ut sentiam, minus asseram: Pro-Regem ad focum domi suæ otiosum consedisse, cum pro trium Regnorum, ac cumprimis Hungariæ salute totidem Monarchæ gravissima negotia non sine laboris, & dierum impendio pertractarent. Fratris *Guilelmi*, Nicolai Drugeth dicti meminit magnifice Bonfinius Dec. II. L. X. pag. 339. quo loco scribit ob rem contra Joannem bene gestam Aversæ Præfectura eum donatum ab Rege Ludovico I. Illud haud negligendum, quod e MS. didici: *Vilhelmum* Pro-Regem ad aquas calidas Budenses molam exædificasse, illiusque possessionem beneficio

A. C. ficio Regis Caroli adiisse. Tabulæ terminantur his verbis: *Datum in Vissegrad, in festo Beatæ Luciæ Virginis, & Martyris. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono.* E fragmento Chronici Budensis ad calcem Thuroczii adjecto, *Vilhelmum Drugeth* inaugurationi Ludovici I. quæ eodem adhuc anno peracta est, interfuisse liquet.

NICOLAUS VI. GYLETUS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXI.

Sub Ludovico I. Anno 1343.

1343 PAlatium Regium, quod ANNO MCCCXLIII. imperii Ludovici I. altero ingressus est, octennium incoluit *Nicolaus*, Gyleti, viri apud Hungariam multis nominibus clarissimi Filius, virtutis non minus Paternæ, quam fortunarum hæres. A bina profectione potissimum Annales nostri ejus meminerunt. Prima, voluntate Ludovici Regis Elisabetham Reginam in Italiam proficiscentem secutus est. Opportune id, quando grande negotium asserendi Neapolitani Regni Andreæ Filio suo, Ludovici Germano, ad quem jure pertinebat, peregrinantem Elisabetham excepit, curis una, ut erat pro Filio solicita, non levibus implevit.

Erexit anxiam Reginam in spes bonas Pro-Regis, viæ comitis prudentia, ac in negotiis, difficillimis licet non minus feliciter, quam strenue pertractandis dexteritas. Ad Pontificem, qui unus vota cum Andreæ, tum Elisabethæ explere poterat, legationem adornat splendidam, una & operosam, summa rei *Nicolao* Palatino commissa. Egit rem is pro virili parte. Et quanquam principio minus propensum in causam suam Pontificem haberet, contranitentibus videlicet, quod habet Bonfinius, Pontificiis Aulicis; pro ea tamen, qua erat in consiliis promptitudine, non multo post Reginæ, Hungarorumque omnium expectationem absolvit. Perspecta namque nonnullorum auri cupiditate, nihil prius sibi agendum ratus, dum eam expleret, quatuor, & quadraginta marcarum millia pollicitus est. Æs promissum posteaquam Ludovicus Rex numerasset, *Nicolaus* pro Andrea coronam abstulit, legationeque defunctus in Hungariam se restituit.

1345 Profectioni alteri occasionem dedit perversa Joannæ Reginæ indoles, quæ post Andream Conjugem per conjuratos, ut plerique existimarunt, e vivis exactum, cum novo marito Regnum Neapolitanum præter jus, & fas usurpavit. Ludovicus, tum ut mortem Fratris ulciscereturtum ut Regnum jure sibi debitum pote-

potestati quoque suæ adjungeret: validum exercitum cum lectissima A.C.
Nobilium Hungarorum corona, trajecto secundis ventis sinu Adriatico in Apulia sistit. Stipabat latus Regium Palatinus, utilis non minus nunc pro Andrea vindicando, quam fuerit ante pro eo corona incingendo. Nec multo post causæ æquitatem, atque etiam pulchros Palatini conatus ad optatum exitum fortuna provexit.

Regiæ cædis convicti, nefarii consilii pœnas quam primum 1350
dependerunt: Joanna spebus, & conatu temerario dejecta, fuga ad Pontificem Avenione tum agentem, præpropera se ultioni eripuit, sed in quam demum & absens incurrit exuta Regno. Memorat Bonfinius Joannem, & Dominicum Filios *Nicolai* Palatini expeditione hac Ludovico Regi utilem commodasse operam. Rebus feliciter confectis revertit Rex in Hungariam. Quid actum dein Palatino *Nicolao ?* proditum est nuspiam. Vide *Bonfinium D. II. L. X. & Geor. Pethô in Chron. Hung.*

NICOLAUS VII. KONTH

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXII.

Sub Ludovico I. Anno 1352.

HEder-váriorum genus, præclare gestorum memoria apud Hungariam florens, *Nicolaus* hic rerum pace, & bello gestarum gloria, dignitatum amplitudine, fama, consiliorum præstantia, ornamentis omnibus unus omnium maxime illustravit. Patrem habuit Laurentium Pothum (Bonfinio perperam Tothus dicitur, nisi librariorum id potius, vel typothetarum sit mendum) de Heder-vára, virum belli studiis innutritum, magnique apud Regnum nostrum nominis. Sed nec minor *Nicolao* nominis gloria obtigit: gratia adhæc omnium. Ludovici certe Regis benevolentiam ita sibi conciliavit: ut facile jam quisque intelligere potuerit, *Nicolaum* virtute, atque consilio pollentem, Regiis insuper gratiis subnixum nihil mediæ fortunæ unquam admissurum. Transylvanos primum summa cum Vajvodæ potestate gubernavit; inde Legati Regii honore auctus, ad summum sacrorum Antistitem Clementem VI. in comitatu Viti, Nitriensium Præsulis profectus est.

Ad ampliora sibi in dies struebat aditum fide in Regem semper integra susceptisque novis pro Rege laboribus. Non parum ad id contulit Andreæ, Neapolitani Regis indigna nece, ut jam supra meminimus, sublati fatum. Pœnas priusquam de male meritis repeteret Ludovicus, flagitiumque tantum ultione justa persequeretur, ne quid temere ageret, a prudentiæque laude remitte-

A. C. ret, pertentandos ante Apulorum animos censuit. Anxiæ circumspectanti, in quem potissimum curarum partem conjiceret, unus occurrit *Nicolaus*; quem & clam in Apuliam misit, eo nimirum consilio: ut quam in partem Procerum, & Optimatum studia propenderent, cognosceret; voluntates omnium sibi conciliaret; Joannæ, cædis reæ, infensos potentum animos redderet, res suas denique, & consilia promoveret. Fecit imperata feliciter non minus, quam solerter. Aquilejæ Lallum, urbis tum Præfectum, Andreæ Regi studentem olim, virum probum, ac fidum offendit: voluntatem hujus postquam in res Ludovici penitus propensam inspexisset, Regis mandata ex ordine recenset; urbem illi addici petit. Idem & aliis, quorum animos aut jam in Ludovicum inclinatos, aut non omnino alienos animadvertit, occinuit. Aquilejenses primum, partim cæsi Andreæ fato commoti, partim comitate, & oratione *Nicolai* persuasi subscripserunt: secuti mox & Marsi, Præcutinii, Samnites, Apuli, Campanique. Hæc ubi feliciter, atque ex voto processissent, Regem *Nicolaus* certiorem de iis fecit. Et valuerunt illa ad Regem animandum, qui collaudata in præsens & fide, & dexteritate *Nicolai*, quamprimum arma corripuit; horum progressu dein in dies animosior factus, & cædem Fratris Andreæ ultus est, & Regnum Neapolitanum sibi asseruit, ut jam retulimus. Adi Bonf. Dec. II. L. X. & Thurocz P. III. Chron. C. XIII.

Atque hic quidem prudentis, & perspicacis viri functus est officio *Nicolaus;* militem non multo post pro Ludovico egit in Italia. Nec male cessit principio opera: quando manum accomodante *Nicolao* brevi Siponti, primum portu occupato, urbs ipsa fidei Regiorum se tradidit. Sed nec diu vicina oppida vim ferre poterant: ad deditionem redacti Theanini, Barletini, Barienses in verba Regis jurarunt. Crescebat interea castrorum Regiorum robur novo milite suppetias identidem ex Hungaria veniente: his auctior Rex, ne medio victoriarum cursu a cæptis desisteret, ultra progressus, Canusium, ad Cannas situm castra promovit. Illo in fidem suam redacto, assertaque sibi cum compluribus oppidis Luceria, Aversam festinato itinere contendit.

Hactenus suprema cum Ducis potestate copias ductabat Stephanus Transylvaniæ Vajvoda, vir rei militaris peritus, & animi magnitudine præcellens. Ad Aversam cum ventum esset, Rex ut præclare navatam ab *Nicolao* Kontho præliis prioribus operam muneraretur, abdicato Stephano, illum obsidioni præficit. Provinciam admodum difficilem sibi impositam non ignoravit ille; urbs enim etsi nondum parte omni, Marti insultare posset, vallo tamen & munitissimo aggere cincta, milite adhæc numeroso potens non leviter spebus nostris adversabatur; tamen ne a solita magnanimitate vel tantillum recederet, neque quidpiam pro Rege detrectare videretur, erectis ad fiduciam suorum animis, urbem corona circumcludit, circumclusam acri trium mensium obsi-

dione

dione ad deditionem urget. Crebræ interea ab oppidanis, & A. C.
præsidiariis eruptiones factæ; cæsi utrinque multi: commissa minora prælia. Parum his obsessorum vires attritæ, parum spes nostræ confirmatæ: at dum forti, & constanti animo, maturo sane consilio obsidionem prosequitur *Nicolaus*, ingravescit in dies amplius apud obsessos annonæ difficultas, quæ cum demum extrema esset, urbem Duci aperuit; Regi, Jacobo Pinnitario Aversæ Præfecto in conditiones certas non invito abeunte, etiam subjecit.

Pulcherrimi hi conatus, ampliſſima merita tot in dies accessionibus cumulata, provocabant Ludovici benevolentiam ad gratias *Nicolao* elargiendas. Nec defuit in promptu occasio. Nicolaus Gyletus Pro-Rex rebus humanis, ut reor, anno circiter MCCCLI. excessit, & vacuam Palatini sedem reliquit. Ut *Konthus* impleret, Ordinum suffragia postularunt, Rex vota omnium rata volens, lubensque habuit.

Palatium ingressus *Nicolaus*, nihil de priſtinis studiis remisit. 1352
Regem, a Venetis Dalmatiam repetentem, strenue adjuvit qua manu, qua consilio. Ex Italia, Cuniano deditione accepto, vi captis Asulo, Crispiniaco, Gorgonia, Forgonio, cum Rege in Pannoniam reversus, otio diu frui non potuit. Missus ad urgendam Tarvisii obsidionem Regis imperio, non perinde faventem fortunam sibi reperit, eam licet navaret operam: ut reliquum nihil ad summam industriam sibi faceret. Quo facilius Tarvisium ad officium Ludovici reduceret, castellum Frank dictum acri obsidione circumclusit MCCCLV. ne qua nimirum intermissione Veneti respirarent, attritumque robur repararent. Continuabat obsidio multos in dies, nec tamen ulla deditionis spes affulgebat. Quare conatu in præsens dejectus *Nicolaus*, Thomæ copiarum Præfecto obsidendæ urbis summa relicta, non multo post Hungariam repetiit.

Haud simili malignitate defuit *Nicolao* fortuna & in expeditio- 1359
ne susceptа contra Bosnenses, Hungarorum stipendiarios, nunc quorundam Nobilium factione officium recusantes. In Provinciam numeroso cum milite infusus, Sztrebernikum vixdum obsidione cinxerat, ingenti cum hominum, rerumque jactura eam solvere coactus est. Incommoda fortunæ, & sigilla Regia, dum Pro-Rex in tabernaculo Metropolitæ Strigoniensis ageret, clam subtracta auxerunt. Atque hic postremum sumpsit arma *Nicolaus*.

Exorto Carolum Imperatorem inter, & Ludovicum Regem 1361
bello, maluit Legati nomine, quam Ducis cum Imperatore congredi. Stephano Bebeko, viro illustri Legationis comite usus, ad Brodam Carolum pro Rege de pace compellavit nequicquam, re demum infecta rediit. Ita placida rebus Nicolai principio fortuna, paulo iniquior in eum annis postremis insultavit. Ad sacratiores proinde curas animum, & operam applicuit: sacræ D. Pauli Familiæ Cœnobio de Csatka in provincia Wesprimiensium anno eodem condito; dum annus tandem supra milles. tercentes.

sex-

A. C. sexagesimus septimus, ut Timon perhibet, Magistratus initi quintus, & decimus e vivorum numero virum, Annalium memoria digniſſimum, expungeret luctu Regnicolarum maximo.

LADISLAUS II.

DUX OPULIÆ, ET VELUNENSIS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXIII.

Sub Ludovico I. Anno 1368.

QUo cognomine fuerit *Ladislaus*, quem jam ſcribimus, eruere ex Hiſtoricis nequeo. Paſſim omnibus Dux Opuliæ, & Velunenſis dicitur. Neque tamen uſpiam reperio; qua ratione Ducatu hoc potitus ſit: forte in eum hæreditate venerit? Ad quam gentem natales ſuos referat, non ſtatuo; certe Hungarum non fuiſſe indubitatum eſt ex Cromero, qui L. XIII. dum Ruſſiam, cujus Dominus ante appellabatur, Ladislao Duci ademptam ſcribit, ſic habet: *Ruſſicas autem Præfecturas ab eo recepit, & Hungaris attribuit* Ludovicus. Cæterum a quibuscunque ortum traxerit, Hungaro Regi Ludovico primis in amoribus, & gratiis fuit. Certe percurrenti Annales illorum temporum, non eſt reperire alium, in quem tot beneficia, Regum favor congeſſiſſet; ſive fortunarum ſpectes commoda, ſive Magiſtratuum amplitudinem, ut jam decurſu narrationis patebit.

P. Timon in Imag. Nov. Hung. Cap. XIII. id ipſum confirmat: *maxime autem*, inquit, *divitiis auxit Ladislaum Opuliæ in Silesia Ducem.* Pluribus locis & Cromerus profuſæ hujus in *Ladislaum* Regis benevolentiæ non ſine ſtomacho meminit; ut facile conjicias Polonorum non paucorum animos *Ladislai* fortunam in dies altius nec jam ſupra vulgus tantum, ſed & Regni Optimates provectam, ab Rege Ludovico alienaſſe. Neque ignota fuit Regi hæc animorum a ſe abjunctio: ut tamen inviſam omnibus munificentiam tantillum contraheret, impetrare a ſe non potuit. Quidquid ad honorem faciebat, quidquid nomine Regis agendum erat, excepit illud *Ladislaum.*

Semel tantum, quod ſciam, arenam ſubiit ANNO MCCCLXI. exacto induciarum tempore Carolum inter, & Ludovicum, cum Petro Bano, numeroſo milite in provinciam Moraviæ infuſus. Improviſo hæc procella tum involvit Moravos; ut nec irrumpentem rejicere a finibus, nec graſſantis impetum infringere liceret. Hinc

La-

Ladislao non prospera tantum, sed & secura hostilibus in terris A.C.
omnia; hinc victoria strage nulla suorum confecta.

Arenam deinde repetiit nunquam, fortuna sponte in sinum 1363
ejus sese ita inclinante; ut domi prope otiosum honoribus, & opibus ultro cumularet; neque eos sub papilione sudoris, & sanguinis impendio quærere necesse foret. Pace Carolum inter, & Ludovicum Hungariæ, Casimirum Poloniæ Reges per Legatum Pontificium procurata ab Rege invitatus Poloniam petiit, solenniaque Nuptiarum Caroli Imperatoris, & Elisabethæ Casimiri Regis neptis præsentia honestavit.

Quinquennio post Nicolao Konth fatis, & munere Pro-Re- 1368
gis functo in Palatii Regii honore subrogatur, an? votis perinde Regnicolarum, ut Ludovici, non definio. Dignitatem Palatini adeptus, repetiit Ludovici imperio Poloniam Casimiri ægri, quin & prope jam supremum cum vita luctantis, visendi gratia. Officium Ludovici per Palatinum præstitum gratum sibi aperte docuit: quando morbo amplius intabescens, supremæque illi diei propior adesse voluit cum nonnullis aliis *Ladislaum*, confectisque coram eo postremæ suæ voluntatis tabulis, ingentem animam efflavit ANNO MCCCLXX.

Annus sequens MCCCLXXI. Casimiro successorem dedit Ludo- 1371
vicum, qui & Cracoviæ Regni insignia accepit. Auctus nova Regis Poloniæ dignitate, & beneficia in *Ladislaum* augere perrexit, facta donatione, ut Cromerus ait, enormi: qua illi Ostressovienſem, & Velunenſem tractum omnem; item Olstinense, Crepicienſe, & Bobolicense territoria in Cracovienſium provincia; adhæc Brezniczienſe in Siradienſi contulit. Adjicit hoc loco Cromerus: Ludovicum ab *Ladislao* solenne jusjurandum post donationem factam excepisse, quo is pollicitus est, perpetuo se sub potestate Regum Poloniæ futurum; ad hæc ditiones nunc acceptas Regno se adjecturum, si a morte nullos mares liberos relinqueret. De hoc jurejurando controvertit Dlugossus.

Possessione tam ampla auctus in Polonia *Ladislaus*, Palatio Re- 1373
gio excessit, in principio ANNI MCCCLXXIII. bene gnarus: divisa bifariam opera non ita se res tum Hungaricas, tum Polonicas procurare posse: ut sine dispendio boni publici prospiciat utrisque. Mansit tamen in obsequio, & fide Ludovici semper, ab eoque vicissim in dies pluribus Regiæ beneficentiæ officiis cumulabatur, ac cumprimis in Russia; in cujus præfecturas non paucas, & ampla territoria bona Ludovici gratia ea cum potestate, & authoritate venerat; ut jam vulgo *Dux Russiæ* nominaretur, quin & ipse magnificam hanc appellationem Rege non invito usurparet. At in Russicas has fortunas non diu retinuit dominatum. Cum enim, quod iterum indignabundus narrat Cromerus, majore benevolentia Ludovicus Hungaros, quam Polonos complecteretur, Russiam iis adjunxit. Id quod ut ne *Ladislai* commoveret animum, Dobrinensem illi ditionem, quam veteres Vissegradensem dixe-

A.C. dixerunt, ANNO MCCCLXXVI. contulit; adhæc: Inovuladislaviam, Genevucoviam, Zlotoriam, & Sarlejum, ea autem rursum lege: ut is jurisjurandi Religione adstrictus in fide, & clientela Regum Poloniæ viveret, masculæque tantum proles in horum prædiorum hæreditatem venirent.

Sed nondum his suam definivit benevolentiam in Ducem Opulienſem Ludovicus. Coortis quibusdam in Polonia sub ANNUM MCCCLXXVII. tumultibus, occasionem Rex nactus novum honorem *Ladislao* conferendi, eum Gubernatoris nomine insignitum, vicaria cum potestate controversiæ dirimendæ, sedandisque motibus præfecit. Non perinde dignitatem hanc retinere potuit, atque prædia a Rege collata. Etsi enim plebi, ac tenuioribus non ingratus esset; Nobilitati certe, & Procerum coronæ, profusis alioquin Ludovici largitionibus irritatæ, sudo vultu spectari non potuit amplissima Gubernatoris dignitas, extero homini collata. Indicta proinde comitia Regnicolis, quibus in medium de Gubernatore recens creato consulerent. Duobus conventibus exactis, Visliciæ altero, altero Gnesnæ, in hanc sententiam denique omnium suffragiis itum: non esse parendum homini, quem ipsi Principem non constituissent, præsertim cum id præter leges, & Majorum instituta videatur. Neque intra verba tantum comitiorum decreta constiterunt. Missi continuo a Primoribus ad Regem Legati, posteaquam obfirmatos Regnicolarum animos, statutaque Ordinum aperuissent, nullo fere negotio eo Regem perpulerunt; ut Gubernatoriam *Ladislai* dignitatem, quæ alioquin ultra nomen hactenus non processerat, penitus abrogaret. Vide *Cromerum Rerum Polon. L. XIII.*

Non eripuit *Ladislao* animos ita gloriæ ejus insultans sors parum æqua, quin & altius eos provexit: dissentientibus namque non multo post de Rege statuendo Polonis ad solium aspirare ausus est ANNO MCCCLXXXIII. In Hedvigem Ludovici Filiam, ut fidem Regi datam exolverent, inclinarunt alii: alii in Ziemovitum Masoviorum Ducem: alii in alios, prout quemque aut patriæ commodum, aut etiam libido abripuerat. At plurimorum suffragiis Ziemovitus designabatur; prope omnes illi cum Hedvigis conjugio Regnum detulerunt. Commoverunt Procerum suffragia *Ladislaum Ducem*, ut qui, Cromero teste, cum Ziemoviti sororem connubii fœdere sibi junctam haberet, Casimirum adhæc Regem propinquitate contingeret, non ultimas adipiscendi Regni spes ad comitia secum attulerat. Nunc tam amplis spebus depulsus, ut eas, qua posset, revocaret: acerrime Ziemoviti fautoribus adversabatur. Sed & huc mala fortuna *Ladislaum* perpulit: quando obstinate reclamans prope, ab Ziemovito adhærentibus abductus, in vincula se implicuit. Ita spebus omnibus evolutus, conatibusque dejectus, intra fortunam suam postea se continuit. Sed *Ladislaus* non tam magnis nominibus, quam singulari pietate perennem memoriam sibi peperit. Ardens in DEI Matrem MA-

RIAM

RIAM amor, ad pia honoris Mariani late in Polonia proferendi A. C.
ſtudia identidem Clientem Parthenium incendebat. Nec invitus Virgineis his ignibus arſit *Ladislaus*, quando nihil perinde in votis habebat, atque ut pietas in MARIAM multa Clientum acceſſione in dies augeſceret. Jam & operam ſuam ad id deſignarat. Ut res felicius caderet, ANNO MCCCLXXXIV. D. Pauli primi Eremitæ Sectatores accerſivit, excitatoque Tſcheſtochovii Aſceterio iis hoc negotium dedit; collocavit etiam ſubinde bona vicini populi fortuna in æde ſacra Iconem MARIÆ ſoſpitæ in Ruſſia Belcii repertam; quo cum ſuos, tum candidi illius Cætus bonos conatus proveheret. Thaumaturgam hanc veneratur orbis Chriſtianus, meminitque una Ducis *Ladislai*, & Palatini. Nimirum nihil æque eſt, quo nomen poſterorum memoriæ certius tranſcribere poſſis, atque ſi in Divos, ac cumprimis in eorum Reginam MARIAM liberalem manum exporrigas.

EMERICUS I.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXIV.

Sub Ludovico I. Anno 1373.

LAdislao Opuliæ Duci *Emericum* ignoti cognominis ſuc- 1373
ceſſorem in Pro-Regis munere datum meminit Jongelinus: ſecundum hunc Szentiványius in Miſcell. Neuter tamen prodidit quidquam de eo. Sed & in Annalibus noſtris pertinax adeo de eo ſilentium, ut ne nominis ejus memoria ſit ulla. Tum Regium Palatium rexit, cum Ludovicus indictis Caſſoviam comitiis immunitates magnas Polonis conceſſit.

Præ manibus habeo *Emerici* literas, in quibus agitur de com- 1374
ponenda lite inter Præpoſitum Albenſem, & Capitulum Veſprimienſe. *Amicis ſuis Reverendis Capitulo Eccleſiæ Veſprimienſis. Noveritis, &c. tandemque diſcuſſio ſeriei præmiſſorum, primo juxta continentias literarum dicti Domini Ladislai Palatini, & ab hinc ipſo Ladislao Palatino in Dominium Regni Ruſſiæ per Dominum noſtrum Regem ſublimato, honoreque dicti Palatinatus per Regiam clementiam nobis dato, juxta literarum materiam ventilandam, &c. Datum in Viſſegrad die decimo termini prænotati* (id eſt die decimo Maji) *Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto.* Hoc eodem anno vivis ereptus *Emericus* menſe Novembri, Palatini dignitatem ceſſit Nicolao VIII. de Gara; cujus res geſtæ ampliorem campum ſcribendi nobis aperiunt.

A.C. NICOLAUS VIII. DE GARA

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXV.

Sub Ludovico I. & Maria Anno 1375.

MUltis nominibus in Hiſtoria rerum Hungaricarum paginam meruit *Nicolaus Gara*, ſive ampliſſima illius munera, quæ domi, militiæque geſſit, in cenſum revocemus, ſive ad militarem fortitudinem, qua potiſſimum ea tempeſtate inclaruit, tantiſper animum deflectamus. Saluti fuit virtus hæc bellica Ludovico ANNO MCCC. LXXI. cum ſuſcepta in Laicum Valachiæ Principem expeditione, in diſcrimen prope extremum res noſtras Nicolaus Vajvoda Tranſylvanus adduxerat. Ductabat is exercitum Regium, propitiaque uſus principio fortuna, fugato jam Drachmero, Valachici equitatus Præfecto, in provinciam interiorem victor penetrarat; ſed qui, cum inter ſylvas, & montium anfractus ſe inſinuaſſet, prorumpentibus e jugis montium hoſtibus, ita telis, & lapidibus impetitus eſt: ut brevi ſuis qua cæſis, qua fugatis & victoriam, & vitam amitteret. Non ademit animos Regiorum clades *Nicolao*, qui tum etiam alterum Ludovici exercitum inſtructis navigiis in Valachiam ſuprema cum belli Imperatoris poteſtate ducebat: quin & auxit, atque etiam ad vindicandos cæſos amplius provocavit. Ita, Regiorum acciſo robore, animis auctior iter accelerat, & brevi non e Bulgaria tantum in Valachiam, adverſante quamvis viriliter Laico, copias transmittit; ſed hoſtem etiam ipſa in Danubii ripa fundit, fugat, proximaque ſubinde oppida Ludovico aſſerit.

Secundum hanc victoriam in Myſia præfectura, ſive Banatu, ut vult Ratkajus, Machovienſi a Ludovico donatus eſt, in rei bene geſtæ contra Valachos præmium. Inita provincia nihil ſibi potius agendum judicavit, atque ut Myſos, & Dacos in Pannonici Regis fide, & obſequio retineret. Nec abluſit a conatibus eventus; quando gens mobilis genii, ita animum in officio Regis obfirmaverat: ut jam nusquam non Hungaro Regi paritura videretur. Hinc illa eſt legere *Nicolai* præconia apud Bonfinium, Thuróczium, Ratkajum.

1375 E Banatu Machovienſi, ad moderanda in Hungaria pro Rege jura, in Palatium translatus explevit expectationem omnium, quando ſapienti plane conſilio, fideque integerrima Regnum difficillimis temporibus, diſtento nimirum cum Polonicis, tum Venetorum turbis Ludovico moderatus eſt annis ſeptem.

1382 Rege interea ex morbo intabeſcente, atque, etiam ad ſupremum diem properante, cum Optimatum omnium ſuffragio Maria,

natu

natu major Filia Regis, in solium Regia cum potestate inferre- A.C.
tur, *Nicolaus* Regni Gubernator renunciatus est, qui nimirum Mariam consilio moderaretur. Munus tamen Pro-Regis, ut liquet e domesticis, & exteris Scriptoribus, dum vixit, perpetuo retinuit. Non optatius quidquam Mariæ, & Matri ejus Elisabethæ evenire potuit. Utraque curas suas ita cum eo partita est: ut nihil non ex arbitrio *Nicolai* geri constaret. Egit ille interea, ut ne quisquam in se desiderare posset eorum quidpiam, quod ad muneris sui rationes pertineret. Officium grati animi, quo Regi Ludovico ob insignia ejus in se beneficia obstrictus erat, totum in Elisabetham Conjugem, ac Filiam cumprimis Mariam transtulit. Abscedebat a Regina nusquam, ne imbecillus sexus, sibi duntaxat relictus, in tanta animorum varietate in exitium ipsum, aut dubiam saltem fortunam adduceretur. Nec defuit consilio, quod secuta Maria, res etiam gravissimas, nullo pene negotio felici exitu concludebat. Hinc illa *Nicolai* prudentiam amplius in dies suspicere, amare fidem, probare ejus omnia, omnia ex sententia ejus gerere. Ad fastigium perveniisse, extra ictum fortunam suam posuisse videri poterat *Nicolaus*. Sed nimirum graviore lapsu e sublimi ruimus.

Tantum authoritatis nactus & ille brevi a pristina laude de- 1384
scivit, Reginas flebili exitio involvit, suum sibi properavit. Nempe cum novi quidpiam in Regni Primores consuleret, Reginæ consulentem, ut solebant, sequerentur, animi plurimorum graviter affecti sunt. Vicerunt dolorem pauci: plurimi furore expiandum putaverunt. Ferventibus, atque in tumultus intestinos æstuantibus Joannes de Palisma Crucigerorum Eques, & Stephanus Vajvoda Transilvanus faces admovere, glisscentemque sub cineribus seditionem inflammavere. Detrectabant jam plerique Reginarum obsequium, quæ posthabitis cæteris unum *Nicolaum* admitterent in consilium: unum illum & gratia sua honestarent, & præmiis ditarent. Apertius demum nudaverunt pectus, & animum; dum excutiendum e dominatu imbellem sexum, verius *Nicolaum* Garam unanimi sententia evulgarent: Carolum, cognomento parvum, Regem Apuliæ, Ludovici nepotem ex Italia accersèrent, quin etiam aspectantibus Reginis, Albæ corona incingerent ANNO M. CCCLXXXIV.

Admissum errorem expunxisse videri potuit, constanti semper deinceps in Reginas fide. Et meruit illa æternis consignari monimentis, dum intra vigilem curam persisteret *Nicolaus*, in eo nimirum, adhibitis etiam stipatoribus cum Prætoriana cohorte fidelissimis, sedulo, ac solicite evigilando: ut ne quam iterum rebus Mariæ, solio jam deturbatæ, seditiosi plagam injicerent. At postquam scelere novo se polluere non dubitavit, quo fidem testatam faceret, tum demum reliquit dubium, num jure in numerum eorum venire possit, qui ab integerrima in Principes fide honestissima immortalitatis præmia consecuti sunt. Sed nimirum ne censo-

A.C.rio isthic perstringam calamo *Nicolai* facinus, exposcere videtur Reginarum miseranda sors, quæ & *Garæ* animum ita affecerat; ut ad extrema quæque tentanda eum impelleret. Luctuosam hanc Elisabethæ, & Mariæ conditionem eleganter describit Bonfinius, lachrymas una Lectori prolicit. Nobis singula referre non vacat.

1385 Quo animo fuerint Reginæ, pronum est vel inde cogitare, quod ipsæ ad temperandum acerbi doloris sensum a scelere non abhorruerint. Elisabetha certe *Nicolao* sciscitanti: *an Carolum, qui Regnum dolo invaserat, e medio tolli velit?* nihil hac re sibi futurum antiquius affirmavit. Non cunctatus dein *Nicolaus*, meditatum facinus confecit, simul fabulæ in Carolo actæ tragicum finem imposuit. Collato quippe cum Elisabetha consilio, eo facile impulit fæminam: ut Carolum per speciem arcanæ cujusdam rei communicandæ suum in conclave pelliceret. Ipse etiam interea Blasio Forgács, (similitudine vocis deceptus, ut reor, Cromerus L. XIV. Blasium Farkassum nominat) fido, audentique homine in insidiis ante collocato, ad Regem apud Elisabetham agentem per causam exorandi commeatus adit, proximas Filiæ nuptias commentus. Vix agi cæptum colloquium, cum accepto a *Nicolao* patrandi facinoris signo Forgácsius erumpit, & Regi Carolo nihil tale metuenti grave in caput vulnus infligit: quo dein confectus, aut ut alii scribunt strangulatus, in Vissegradensi carcere vita exiit. Ex genere Blasii hujus illustris Forgácsiorum prosapia, tot illustribus in utraque Republica viris celebris ortum ducit teste Bonfinio, qui etiam addit: arcem Gymes ab Reginis Blasio in præmium patrati facinoris collatam esse. Timon hujus non meminit, scribit tamen in Epit. sua ad ANNUM MCCCLXXXV. præmium facti tulisse Blasium faciem fæminæ pro insigni gentilitio, quo etiamnum posteri utuntur.

1387 Dejecto in hunc modum Carolo e solio, rursum Reginas in dominatum restituit. Ut tamen securitati earum consuleret, tantillum in Dalmatiam recessum, dum paulisper cædis memoria refrigescat, persuadet. Et jam susceptum iter persequebantur Reginæ *Nicolao*, & Blasio comitibus, modico admodum præsidio militum stipatæ; cum ecce Joannes de Herichort, sive ut alii Horváth, Dalmatiæ Banus, partiumque Caroli studiosissimus, collecto raptim milite in Reginas invadit. Suprema hæc fuit arena probandæ in Reginas fidei *Nicolao*. Improviso tumultu perculsæ illæ, spem omnem jam salutis retinendæ prope abjecerant. In tanta perturbatione animis auctior *Nicolaus*, cum plerique stipatorum, qua cuique proximum fuit, in fugam effunderentur, atque jam etiam Forgácsius primo in congressu fortiter prælians occubuisset; pro Reginis arrepto ense adversum invasores prope unus acerrime dimicabat, pulchre mori, & ad mortem usque fidele Reginis obsequium præstare certus. Cum eo rem demum mala fortuna adduxisset, ut non ultra jam irruentium impetum infirmare posset, illud obfirmato egit animo: ut ne incruentam hosti victoriam relinqueret.

Fidem

Fidem prope excedit: cum tot jam adverſo corpore ſagittas A. C.
ferret, ut ſine earum fragore brachia commovere nequiret, inſtabat tamen, & a præſenti morte reſumebat animos; donec tandem a nonnullis, qui currum Reginarum ſubierant, pedibus ſurreptus, humique ſubverſus Reginis aſpectantibus, & lugubre vociferantibus miſere obtruncaretur, id quod ad ANNUM MCCCLXXXVII. Chronologi eveniſſe referunt. Abreptæ dein ab Horváthо Reginæ. Et Maria quidem in Crupenſi, vel quod Paulus de Paulo habet in Novigradenſi, ſeu Caſtri novi, ut ſcribit Careſinus, arce concluſa aliquamdiu, libertatem dein & Regnum recepit; Eliſabetham vero Scriptores noſtri nocte intempeſta obſtructo ore in flumen, Boſſuta dictum, demerſam Horváthi imperio prodiderunt. *Nicolai* caput ad Margaritam, Caroli occiſi Conjugem in Apuliam miſſum eſſe in miſerum viduæ fæminæ ſolatium Hector Pignatellus in ſuis Diariis memoriæ prodidit.

Atque hic ille eſt diu multumque luſæ ſcenæ tragicus exitus; hunc demum non ſine arcano DEI conſilio finem reperit *Nicolaus*. Vir erat cætera cum ob militarem peritiam, & fortitudinem animi, tum ob promptum, & expeditum ad conſilia danda ingenium laudatiſſimus; coronæ adhæc ſacræ Regni Hungariæ ita addictus; ut dixiſſe auditus ſit nonnunquam: *legitime coronatum ſacro hoc diademate Regem, vel ſi bellua foret, nunquam ſine magno lædi poſſe ſcelere.* Secundum fata *Nicolai* ſuperfuerunt ſuperſtites Filii Nicolaus, & Joannes. Priorem ſuo loco Pro-Regum catalogo adſcribemus.

NICOLAUS IX.

COMES DE SZECH

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXVI.

Sub Maria Regina, & Sigismundo Anno 1387.

ILluſtrem Szécſiorum domum virtus *Nicolai*, multo illuſtriorem reddidit. Oſtentandæ illi ANNUS MCCC. XLIV. campum, & arenam aperuit. Joannes Bohemiæ Rex, propagandi Regni cupidus, infeſto cum ſuorum agmine Poloniam inundarat, atque jam etiam Cracoviam acri obſidione fatigabat. Caſimirus Poloniæ Rex extemplo per Legatos Ludovicum Generum appellat, labantes res ſuas, ac prope cadentes auxilio Hungari militis fulciri expoſcit. Non is opem diſtulit. Ad ferendam illam, accepto negotio miſſus continuo cum numeroſo exercitu, ſocioque Petro Poharnikio

Nico-

A. C. *Nicolaus Széchius*, simul Cracoviæ copias suas affudit, urbem ab obsidione, Poloniam hoste Bohemico vindicavit. Adjicit Bonfinius: *Præclaro hoc facinore ita perpetuo beneficio erga Hungaros Polonorum animos obstrinxit, ut ii in hodiernum usque diem immortales gratias se his debere fateantur ingenue.* Ut ut sit istud: certe Cromerus parce in Hungaros officiosus, beneficium istud parum grata memoria in suis Annalibus prosequitur.

Redux e Polonia *Nicolaus*, omni Sclavoniæ Banus præficitur. Et opportune in hanc dignitatem venit; quando Dalmatiæ, a Carolini Regni initiis, turbis, & procursionibus ferventis salus virum magnanimum, jam dudum desiderabat. Ductæ in dies Venetorum præsertim opera dissensiones, Duces præcipuos Comitem Neliptium, & Gregorium Ciriaky, an? ut Bonfin. Luriaci Filium habuerunt. Munus sedandorum tumultuum *Nicolao* impositum magnam omnibus expectationem attulit. Explevit illam non multo post, quando apud Croatas potiori parte dissidia, quæ Ludovicus Rex variis distentus negotiis sedare non poterat, ANNO MCCC. XLIII. restinxit. Mense septembri cum quatuor Galeatorum millibus in Illyricum missus, Neliptio jam fatis functo, ita Tininium urbem obsidione pressit: ut paucorum dierum impendio Neliptii Viduam ad deditionem coegerit. Ipsa tamen deditio in præsens facta non est; tum, quod ab illa mulierem, Croatiæ Primores avocarent; tum, quod pactiones initæ Ludovico non probarentur: dum tandem aucto viginti millibus Regio exercitu Joannes Neliptii Filius & urbem dederet, & ipse magna cum Croatiæ parte ad fidem, & obsequium Ludovici rediret.

Subinde *Széchius* ex Illyrico in Apuliam, Ludovicum secutus, ut habet *Bonf. Dec. II. L. X.* operam transtulit; inde rebus feliciter pro Rege gestis nobilior, in Hungariam redux apertam sibi Curiam reperit. Ingressus illam ANNO MCCCLVIII. Judicis Regii munus ita implevit, ut cum volente Rege in Illyricum rursus summa cum Bani potestate revertisset, non ante potuerint incensa populi vota restingui, quam Hungariæ, & Curiæ restituto *Nicolao*. Id quod factum esse meminit Timon ad ANNUM MCCC. LXXX.

1387 Sed nec Curia satis erat ad præmia, *Nicolai* virtuti debita, persolvenda; Palatio Regio denique magna omnium gratulatione admovetur MCCCLXXXVII. post mortem Nicolai de Gara. Et Ducatu de Limpach insignitum fuisse, in *Hungaria suis cum Regibus compendio data* legere est. Eadem & Dionysii de Széch, *Nicolai* Filii meminit, qui acceptam a Patre gloriam in ipsum Purpuratorum Patrum Collegium, Cardinalis S. Cyriaci in Thermis dictus, intulit ANNO MCCCCXXXIX. die VIII. Januarii. Consule *Archi-Episcopos Strigonienses, Tyrnaviæ editos MDCCLII.* Idem Strigonienſibus Metropolita datus, eo in munere Ladislaum Posthumum, nondum quartum mensem natum, Albæ coronavit. Germanus ejus Frater Thomas de Széch, Heros ille sub Ladislao Post-

hu-

humo celebris; qui vires Uladislao Polono faventium multum at- A. C.
terebat. Prolixe de hoc Bonfin. uti & Dionyſio Dec. III. Lib. IV. Jam vel ex Filiis metire Patrem.

Verum, quæ eſt perpetua viciſſitudo rerum humanarum, nondum biennio evoluto, *Nicolaus* repentino morbo oppreſſus vivere deſiit ANNO MCCCLXXXVIII. Succeſſit illi Stephanus, ut jam narrabimus.

STEPHANUS III.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXVII.

Sub Sigismundo Anno 1389.

ANNUS MCCCLXXXIX. *Stephanum* ad jus in Hungaria, 1389
ſumma ſecundum Regem poteſtate dicendum evexit. Nomen ejus inſertum lego Sigismundi Regis diplomati, quod Joannes de Kaniſa Archi-Præſul Strigonienſis obtinuit ANNO MCCCLXXXIX. Antiſtitum nominibus adjiciuntur Proceres: *Stephanus Palatinus Hungariæ, & Judex Cumanorum, C. Emericus Bubek Judex Curiæ Regiæ, Ladislaus Vaivoda Tranſylv. C. de Zolnok, Ladislaus Loſonczi totius Sclavoniæ, Dionyſius filius Thomæ Dalmatiæ, & Croatiæ, Joannes Zeurinienſis, Nicolaus de Gara* (occiſi Nicolai de Gara Palatini filius) *Machovienſis, Bani. Nicolaus filius Joannis de Kaniſa* (frater Joannis Archi-Epiſcopi Strigon.) *Tavernicorum, Leuſtachius de Ilswa Janitorum, Georgius de Chytnuk Dapiferorum, Nicolaus de Perény Pincernarum, idem Dominus Stephanus Palatinus Agazonum Magiſtri, Styborius C. Poſon.*

Triennium in Magiſtratu hoc exegit, illudque, ut erant illa tempora, implicitum. Curas Pro-Regis auxerunt bella, quæ tum Sigismundus geſſit; ut adeo in plura negotia diſtractus, res Hungariæ procurandas cum Palatino partiri cogeretur. Neque tamen uſpiam reperio particulatim *Stephani* conatus, Reipub. cauſa impenſos; quin nec in cognominis ejus notitiam venire licuit, qua habita prolixior utique evaſiſſet Pro-Regis memoria. Illud non omiſero, *Stephanum* ſeu ſponte, ſeu Regis imperio deceſſiſſe Palatini munere, ac Magiſtrum Agazonum egiſſe. Eruimus diploma Sigismundi Regis, quo Joanni de Kaniſa Metropolitæ Strigonienſi poſſeſſionem Bayon addicit. Signarunt illud utriusque Ordinis Optimates ANNO MCCCXCV. Secundum Præſules leguntur: *Leuſtachius de Ilswa Palatinus C. Albenſis, Frank de Konya Vaivoda Tranſylv. C. de Zolnok, C. Joannes de Zapolya Judex Curiæ Regiæ, Detricus Bubek Sclavoniæ, Nicolaus de Zéech Dalmatiæ, & Croa-*

A.C. *tiæ; Stephanus de Korog, & Nicolaus Trentul Machovienſes Bani, Nicolaus de Kaniſa Janitorum, Georgius de Chytnuk Dapiferorum, Joannes de Perény Pincernarum, Dominus Stephanus pridem Palatinus, Agazonum Regiorum Magiſtri, Styborius de Styborich C. Poſonienſis.*

LEUTSTACHIUS DE ILSWA
COMES ALBENSIS
Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum
LXVIII.

Sub Sigismundo Anno 1392.

1392 FElicibus auſpiciis Palatini Provinciam adiiſſe videri poterat *Leuſtachius* ANNO MCCCXCII. quo nempe Hungari cæſa magna Turcarum, Valachorumque manu, Nicopoli minore potiti ſunt. Primus hic fuit Hungarorum cum Turcis coflictus, isque parte omni auſpicatiſſimus, totique Regno lætiſſimus.

1396 Verum fortuna belli ut nunquam perpetua; aut ſemper bona eſt, vultum ſuum, quo rebus Hungaris favere videbatur, opinione celerius ſubduxit. Ad minorem Nicopolim Rex Sigismundus cum iisdem congreſſus ANNO MCCCXCVI. adeo fœda clade profligatus eſt, ut amiſſis caſtris, & virorum robore, in una fuga ſalutem repererit. Infelix pugna Regem multis calamitatibus involvit, *Leuſtachium* Magiſtratu Palatini evertit. Namque Hungari accepta clade imprudentia Sigismundi, ut ajebant, irritati, de eo exauthorando cogitabant. Jamque conſilia miſcebant cum Ladislao Apuliæ Rege, cui ſceptrum, & coronam ultro detulerunt. *Leuſtachium* inter conjuratos fuiſſe, non levis ſuſpicio, quod redeunte Sigismundo e diuturna fuga, illico dignitate exutus fuerit, quam tamen abſente eo, menſe adhuc Majo, ANNO MCCCXCVII. pleno cum jure geſtavit. In catalogo Palatinorum Jongeliniano eſt legere: *Leuſtachius de Ilswa - - - officio amotus anno eodem MCCC. XCII.* At iſtud aperte falſum, cum diploma in vita Stephani III. Palatini laudatum, *Leuſtachium* ad ANNUM MCCCXCV. Pro-Regem fuiſſe atteſtetur. Atque hoc, non quidem ut certum, adferre libuit; penitus certe noſtra opinio rejicienda non videtur, ut quæ cum hiſtoria ANNI MCCCXCVII. admodum congruit: neque alia ex Scriptoribus cauſa amoti *Leuſtachii* erui poteſt. Munus Palatini in Detricum Bubek obitis præfecturis, & fide in Regem notiſſimum, translatum fuit.

DE-

DETRICUS BUBEK A.C.

DE PELSÖCZ

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXIX.

Sub Sigismundo Anno 1397.

AD Banatum Sclavoniæ virtus præclara *Detricum* evexit primum. Munere hoc ornatus, in eam rem ſtudio omni, & cura incubuit: ut populum ſibi creditum in Regis fide ſervaret, neque torrente Hervojanorum, & Tvartkiorum eum abripi ſineret. Unde crebro retundendi erant factioſorum impetus: levis fidei homines ſæpe qua minis, qua præmiis in officio confirmandi. Reverſus Hervoja ex Apulia, tumultuantisque Tvartkonis partibus ſocium ſe jungens, plurimum negotii faceſſiverat *Detrico* ANNO MCCCLXXXVIII. Oppoſuit ſe furentibus fortiter, at non & feliciter. Ut enim expediret omnia, quæ ſalus Reipublicæ rebus ita turbatis deſiderabat; impedire non potuit, quin univerſum Illyricum, ac Jadrenſem cumprimis agrum Hervojæ crudelitas popularetur. Tininienſes ad officium Regis adducturus menſe Septembri ANNO MCCCXC. arcem eorum obſedit; ſed & hic a fortuna deſtitutus, in præmium impenſi laboris laudem tantum fidei in Regem intemeratæ, & induſtriæ navatæ operæ ex arena retulit.

Exauthorato Leuſtachio, Sigismundus Rex *Bubekum* (aliis 1397
etiam Bebekum) ſuo Palatio præfecit. Habemus inſigne diploma ejusdem Sigismundi, quod omne dubium circa Magiſtratum *Bubeki* abſtergit. Illud eſt: *datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Joannis Archi-Epiſcopi Strigonienſis, locique ejusdem Comitis Perpetui, &c. Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, octavo Idus Decemb. Regni autem noſtri anno undecimo. Venerabilibus in Chriſto Patribus, & Dominis Valentino T. Sanctæ Sabinæ S. R. E. Presbytero Cardinali, ac Eccleſiæ Quinque-Eccleſ. Gubernatore, eodem Joanne Strigonienſi, Nicolao Bubek Colocenſi, &c. Magnificis viris Detrico Bubek Regni noſtri Palatino, Judice Cumanorum, & C. Albenſi, Styborio de Styborich Vaivoda Tranſylv.* Reliqua nomina cum Præſulum, tum Procerum reperias, in Archi-Epiſcopis Strigonienſibus pag. 72.

Jam qua integritate? quanto tempore? præfectura hac functus fuerit, quis divinet? e patriis Scriptoribus nihil omnino mutuare licuit. Crediderim *Bubekum* perturbatis illis temporibus ſub ANNUM MCCCXCIX. honore Palatini motum fuiſſe, gliſcente ſeditione Procerum. Sed hujus rei nullum idoneum teſtem vocare poſſum.

A.C. NICOLAUS IX. MARCZALTHEY

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXX.

Sub Sigismundo Anno 1400.

1400 NIcolaus Marczalthey Regis Palatium ſumma cum poteſtate ingreſſus ANNO MCCCC. ut adnotavit Jongelinus, brevem, & perturbatum Magiſtratum geſſit. Septennio prope integro, pertinaci odio diſſidebant Proceres a Rege Sigismundo, malumque ſeditionis ſub cinere gliſcens, eas proceſſu temporis vires ſumpſit, ut conjurati Ladislao, Caroli cæſi filio clam Regnum deferrent ANNO MCCCXCVII. Ladislaus Patris cæde cautior, e longinquo ſpes ſuas, Procerumque Hungariæ alebat.

1401 In apertum ſubinde prorupit conjuratio incendium. Feſta luce S. Vitalis ANNO MCCCCI. frequentes Regem adeunt de Repub. conſulturi. Regem acerbius perſtringunt: cladem Nicopolitanam, cædem Nobilium duorum ſupra triginta imperio illius patratam, palam oggerunt: aliaque non pauca Majeſtate Regia contempta in os objiciunt. Inter convicia, & contumelias, dum amplius ferveret contentio, prope erat, ut conjuratorum quidam mortem Regi conſciſcerent. Pro-Regem familiam duxiſſe, author eſt *C. Petrus de Réwa in ſua Monarchia Centuria V. Infelicis*, inquit, *belli Hungarici cauſam, alieno ex crimine ortam, caſumque miſerandum, Hungari quidam in perfidiam, & ſeditionem verterunt, ac in primis Nicolaus Marczalthey Palatinus.* Mitior ſententia obtinuit, ut in cuſtodiam daretur. Duorum menſium ſpatio carcerem perpeſſus in arce Szokloſienſi, poſtquam libertatem recuperavit, ut paulo poſt narrabimus, *Marczaltheyum* in ordinem redegit, ac Nicolaum de Gara Palatinum renunciavit ANNO MCCCCIII. ſubinde & ſuam, & Nicolai fortunam, armis Bohemorum, & Hungarorum, qui eatenus fidem non mutaverant firmaturus. Hæc de *Marczaltheyo*, quem nonnulli Scriptorum corrupto nomine *Marczalthegum* appellant.

NICOLAUS X. DE GARA A. C.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXI.

Sub Sigismundo Anno 1403.

Nicolai de Gara, alterius Nicolai Garæ ſub Regibus Ludovico, & Maria olim Palatini Filii ſupra leviter, alienoque quaſi loco, meminimus: ſuam ſibi jam & is hoc loco paginam vendicat. Sanguinem magnanimum, quem a Patre hauſerat, factorum gloria multum cum Fratre una Joanne illuſtravit. Paternæ cædis memoriam ponere non potuit, quin etiam ea ſemper ad vindictam ſe excitabat. Et quia non ignoravit, pro Sigismundo non minus, quam Maria ejus Conjuge Patrem occubuiſſe: alieno idcirco ſemper fuit, aut ſaltem non plane amico in Regem animo. Iſtud unum fuiſſe ſcribit *Bonfinius Dec. III. L. II.* quod illum impulit: ut Stephanis duobus, Carolinæ olim factionis Principibus, alteri Ladislai Vaivodæ Filio; de Simonytornya nato alteri, ſe adverſus Sigismundum adjungeret, agmenque ſeditioſorum cum Joanne fratre augeret. Matura jam conjuratione, frequentes, ut dicebam, Regem adeunt, circumſiſtuntque. Adfuit his *Nicolaus* cum fratre Joanne, & ne otioſus tantum litem ſpectaret, qua verborum dicacitate, qua manu, ſeditionem provehebat. In vincula demum miſere conjectus Rex: ſuffragio Conjuratorum omnium *Nicolao*, & Fratri Joanni negotium datum ejus fideli cuſtodia aſſervandi. Non cunctati illi, in arcem Szoklos captivum Regem abripiunt.

Anguſto conſtrictus carcere Sigismundus, ludicram in rebus humanis fortunam dies, ac noctes deploravit; neque tamen ob pertinacem *Garajorum* animum ſpes ulla e cuſtodia ſeſe expediendi offerebatur. Mitioribus ſtudiis Mater *Nicolai* æſtuabat. Captivi Regis fortunam iniquam, & aſſiduos gemitus miſerata illa, cum perſpectum haberet ab Filiorum ſuorum arbitrio ſalutem, & dignitatem Sigismundi pendere, eos, ac *Nicolaum* grandiorem natu potiſſimum, inter lachrymas obteſtatione maxima petebat: factionibus ut ſe quam primum evolveret, Regem in libertatem reſtitueret, atque ſic labem, perfidia in Sigismundum admiſſam, dilueret. Sed nihil perinde ingeminabat, atque illud Conjugis Nicolai Palatini dictum ſolenne: *legitime coronatum ſacro hoc diademate Regem, vel ſi bellua foret, nunquam ſine magno lædi poſſe ſcelere.*

Valuerunt matris preces, eoque jam res Sigismundi adduxerant, ut mox cum liberis pia mulier de eo in libertatem vindicando tranſigeret, commenta: Moraviæ dominatum illis Regem addixiſſe. Illud indubitatum eſt jurejurando affirmaſſe Sigismundum,

A.C. in præmium officii ſibi præſtiti *Nicolaum* & *Joannem* in Fratres ſuos ſe adoptaturum, Eliſabetham in Matrem; daturum ſe adhæc operam: ut obſequii ſui uberem fructum poſtea referant. Non pluribus erat opus; inito cum fratre Joanne conſilio *Nicolaus*, Sigismundum e vinculis expedit, clandeſtinoque itinere ipſe in Moraviam deducit. Eleganter hic Judicum Curiæ Scriptor: *tam mites* (Nicolaus nimirum & Joannes) *jam in Regem, quam ingrati ante; emolliti Matris precibus, quod juſtitiæ non dedere, dederunt roganti Parenti, reverentes plus naturam, quam potentiam, dum detruſum e ſolio eidem retulerunt.*

1403 Atque hæc eſt ſemita illa ad honores, quibus ſubinde ſecundum cædem Nicolai I. Garæ, illuſtris *Garajorum* proſapia ornata eſt. Retexit illam mulieris in Regem pietas, pietas liberorum in matrem expeditiorem reddidit: ut adeo poſteri fortunam ſuam debeant utrique. Sed & Sigismundus ſuam utrique debuit; atque idipſum quo luculentius teſtaretur: gratiam liberatoribus ſuis in Regnum ſubinde reſtitutus referre nunquam non ſatagebat. Totus in ornanda *Garajorum* domo cum eſſet, extemplo *Nicolaum* Palatinum dicit. Magna cum laude provinciam adiit ille, majore geſſit; quando Regem qua conſilio, qua armis adverſum factionis reliquias tutabatur ſtrenue. Nec minor Joannes de Gara apud Regem Sigismundum. Copiis ſuis hunc ille præfecerat, curas una ſuas, ac ſolicitudines in eo depoſuerat. Titulo Ducis inſignitus, in Bosnia contra Hervojam Spalati Ducem, copiis Turcicis nunc auctum, pro Sigismundo arma ſtrinxit non æque felici, ac forti manu. Dum enim, ſuis fuga præcipiti elapſis, ab hoſte circumcluſus obſtinate reſiſtit, captivus abducitur. Diu carceris illuviem dein apud efferatum hoſtem tulit, dum tandem cuſtodibus eluſis in libertatem ſe aſſereret. Sibi reſtitutus ad Bathæ Fanum, Euchariſtico Numini dicatum, recta contendit; & quo ibi vota Superis perſolveret, duriſſimas compedes, affixit aris. Hæc de Joanne.

Jongelinus, quive Jongelinum in conficiendis catalogis Palatinorum ſecuti ſunt, exiſtimarunt *Nicolaum* noſtrum quinquennio duntaxat Pro-Regis provinciam adminiſtraſſe, vitaque defunctum ANNO MCCCCVII. utque hiatum ſeptem, & viginti annorum explerent (tot enim numerantur ab ANNO MCCCCVII. ab ANNUM MCCCCXXXIV. quo Mathæo de Palocs Vicaria Regis poteſtas collata eſt) *Dominicum Bubek* ſucceſſorem *Nicolao de Gara* dederunt. Verum ego non levi fatigio diverſa diplomata Sigismundi conſului, e quorum fide mihi certiſſimum eſt, hunc *Nicolaum* Pro-Regium munus ad ANNUM uſque MCCCCXXXI. vixiſſe, & diuturna felicitate Palatio præfuiſſe. Denique MS. quibus utor, diſertis verbis atteſtantur, *Nicolaum* Pro-Regem inter vivos fuiſſe MCCCCXXXIII. quibus cur fidem non habeamus, vix video; tametſi pro duobus poſtremis annis nullum diploma adferant. Anni cæteri diplomatis ſuis inſignes ſunt.

Le-

Lectoris gratia unum, atque alterum intertexam, ut animad- A. C.
vertat; me absque injuria *Dominicum Bubekum* e numero Palati- 1412
norum expunxisse. Primum sit, quo novum robur acceperunt a Sigismundo Rege, & Imp. privilegia Strigoniensis Ecclesiæ. Concluditur illud his verbis: *Datum per manus Reverendi Patris Domini Eberhardi Episcopi Zagrabiensis, aulæ nostræ supremi Cancellarii fidelis nostri dilecti, Anno Domini MCCCCXII. III. Idus Decemb. Regnorum autem nostrorum anno Hung. & reliquorum XXVI. Romanorum vero III. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Joanne Strigon. Demetrio Spalatensi, Andrea Ragusi. Archi-Episcopis, &c. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni Hung. prædicti Palatino, Styborio de Styborich Vaivoda nostro Transylv. C. Simone de Rozgon Judice Curiæ nostræ, &c.*

Alterum diploma, Familiæ de Zirma datum, luculente pro- 1418
bat *Nicolaum de Gara* & vixisse, & Pro-Regem fuisse ANNO M. CCCCXVIII. Clausula hoc modo habet: *Datum per manus Eberhardi Episcopi Zagrabiensis, aulæ nostræ supremi Cancellarii, fidelis nostri dilecti, Anno Domini MCCCCXVIII. IV. Idus mensis Maji, &c. Venerabilibus in Christo Patribus, ac Dominis Joanne Strigon. Andrea Colocen. Deymo Spalatensi, & altero Andrea Ragusien. Archi-Episcopis, &c. Nec non Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Hung. Palatino, altero Nicolao de Chák Vaivoda nostro Transylv. C. Petrô de Perény Judice Curiæ nostræ, &c.*

Tertium demum adferre libuit ad nostram sententiam firman- 1431
dam. Isto immunitates Præposituræ per eundem Sigismundum adsertæ sunt. Epilogus est hujusmodi: *Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Domini Joannis Episcopi Zagrab. S. R. I. & nostræ Majestatis summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, decimo Cal. Martii, regnorum autem nostrorum anno Hungariæ, & reliquorum XLV. Romanorum XXII. & Bohemiæ XII. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Georgio Strigon. Joanne Coloc. & Bácsensi Canonice unitarum, Dionysio Spalat. & Andrea Ragus. Archi-Episcopis, &c. Item Magnificis Nicolao de Gara Regni nostri Hungariæ Palatino, Hermanno Ciliæ, Zagoriæque Comite, totius Regni nostri Sclavoniæ Bano, Socero nostro charissimo, Ladislao de Chák Vaivoda nostro Transilv. Mattyus de Palocs Judice Curiæ nostræ, &c.*

Horum diplomatum authoritate apertum fit, *Nicolaum de Gara* non interrupto honoris cursu Palatium obtinuisse. Jongelinus quidem pro Magistratu *Dominici Bubek*, sive *Bebek*, laudat epistolam die S. Gallo sacra nomine *Dominici* Pro-Regis datam, & protestationem Fratrum Elephantensium adversus Laurentium Ur, & filios ejusdem factam ANNO MCCCCVII. Verum isthoc testimonium tanti non est, ut infringat tot diplomata Regia. Denique Jongelinus non uno loco in errorem est lapsus, ut per decursum hujus operis vidimus.

Cæte-

A.C. Cæterum præclara *Nicolai* facinora, quæ ſeptem, & viginti annorum ſpatio domi, foriſque patravit Pro-Rex, miro ſilentio involverunt Scriptores noſtri. Nobis illud tacendum non eſt: Magiſtratum Palatii Regii, difficillimis admodum Sigismundi rebus *Nicolaum* geſſiſſe, ut qui diverſis diſtractus partibus, ſeditione cumprimis Huſſitarum, Turcicis deinde, & Polonicis motibus, denique ad Synodum Conſtantienſem religionis cauſa profectus, res Hungariæ vicaria potiſſimum *Nicolai* Palatini opera moderari cogebatur.

MATHÆUS III. DE PALOCS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXII.

Sub Sigismundo Anno 1434.

PErvetuſta eſt apud Hungaros Palocſiorum proſapia, ad quam natales ſuos *Mathæus* noſter refert. Non in poſtremis illam amoribus habuit Rex Sigismundus. idcirco & Bonfinio teſte multis eam beneficiis ornavit. Principatum autem in Palocſiis obtinuit *Mathæus*, in quem ita benevolentiam ſuam Rex profudit; ut ad collatas fortunas, & honorum ampliſſimos Curiæ Judicis primum, Pro-Regis deinde titulos illi adjiceret. Verum etſi propenſo fuerit Sigismundus in *Mathæum* ſtudio, non uni tamen illi fortunam ſuam debuit; qui virtute, & præclare geſtis dum Regem ad benevolentiam provocavit, ſibi una ad honoris faſtigium ſi non penitus aperuit aditum, proniorem certe reddidit.

Eluxit virtus *Mathæi* tum maxime, cum fœda illa Huſſitarum colluvies Ziska Duce, Bohemicis effuſa limitibus, agmine trifariam partito Hungariam, Poloniam, Auſtriamque corripuerat. Ut ne Religioni Romanæ labem aſpergat novus error, pro Sigismundo cum cæteris tum patriæ, tum Sacrorum noſtrorum amantioribus arma ſumpſit *Mathæus*, atque cum victoriam a pervicaci hoſte extorquere non poſſet, illud omni cura egit: ut robur ſaltem attereret illius, & conatus, mala noſtra fortuna fluentes, moraretur. Certe quibus animis rem hic pro Sigismundo egerit, luculente teſtatur vulnus, quod in vertice ſaucius e prælio retulit.

Animoſior inde pro fide in Principem ſuum tuenda factus, operam parum feliciter adverſus Ziskam collocatam, ad componenda, Rege Bohemicis turbis nondum expedito, recens enata inteſtina diſſidia pro Judicis Regii officio tranſtulit. Fortunam magis propitiam in Curia reperit: ſumpto etenim de reis ſupplicio, ne malum, ſub cinere gliſcens, in apertam flammam prorum-

rumperet, effecit. Sed & Poloniæ ſaluti fuit, dum eam, dome- A. C.
ſticis motibus nutantem, firmavit Legatus.

Ad Palatium ſubinde pro Rege gubernandum ex Curia aſſum- 1434
ptus, quo Reipublicæ rebus proſpiceret; Sigismundo Regi, leges, & ſtatuta ANNO MCCCCXXXV. Budæ condenti, præclaram navavit operam. Hoc ipſo anno inter alios ſubſcripſit ejusdem Regis Diplomati, VIII. Idus Martii expedito, ut videre eſt in *Corpore Juris in Decretis Sigismundi Regis.*

Biennio poſt *Mathæus* diem extremum clauſit, hoc eſt ANNO 1437
MCCCCXXXVII. quem Sigismundus ſecutus eſt Znoimæ in Moravia, Princeps maximis virtutibus clarus, & pacis Eccleſiæ ſtudioſiſſimus. *Palocſio*, ſeu *Paloczio* Laurentius de Heder-vára ſucceſſor nominatus eſt, vir tanto muneri omnino par.

LAURENTIUS II.

DE HEDER-VARA,

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXIII.

Sub Regibus Sigismundo, Alberto, Uladislao Polono; & Joanne Hunniade Gubernatore Anno 1437.

ILluſtrium quatuor Principum gratia floruit *Laurentius* 1437
olim, partes ſuas una virtute in Regia promovente; ne quis uni Heder-váriorum generi, Majorumque meritis fortunam viri attribuere auſit. Sub Sigismundo in arena, & Curia exercitus, ita probavit operam Regi: ut Regalium primum Agazonum Magiſter renunciaretur, indeque ad ipſum Palatium ANNO MCCCCXXXVII. ſumma cum Pro-Regis poteſtate gubernandum aſſumeretur. At non diu nomine Sigismundi id egit, quando anno eodem, quo in Palatium *Laurentius* illatus eſt, Regem fatalis neceſſitas eripuit. Suffectus in ſolio Sigismundo Albertus, ratam habuit *Laurentii* dignitatem. Verum nec huic diuturnam operam accomodare potuit, morte iterum vim ſuam funere Alberti in Regiam effundente.

Priusquam tamen is ad communem hanc omnibus metam de- 1439
volveretur, comitiis per Palatinum Peſthinum indictis, leges condidit partim, partim conditas revocavit; *Laurentio* interea ſedule in id evigilante, ut ea Regi ſuggereret, quibus Hungariæ ſalus affirmaretur. Proviſum his comitiis, ne quæ jurgia amplius de Palatini dignitate enaſcerentur; quando conſilio *Laurentii* lege ſancitum eſt: *Pro-Regis electionem eam demum fore legitimam, quæ conſenſu Regis, atque etiam Regni Nobilium confecta fuerit.* Vide *Dec. Alberti Regis Anni MCCCCXXXIX.*

A.C. Vulgatis legibus ſuperfuit non amplius menſes ſex Albertus, ex ventris profluvio abſumptus. Mors hujus ſcenam Hungariæ novam aperuit: *Laurentio* Pro-Regi uti curas auxit, ita probandæ virtutis occaſio fuit. Rexit is Hungariam ſecundum obitum Alberti ſumma cum Inter-Regis authoritate, pacemque interea feliciter Regno toti procuravit; dum tandem illam Eliſabetha Regina Vidua, conſilio parum maturo uſa, eripuiſſet. Eliſabethæ illa, & Mariæ Reginarum fortunam verita, fæminei ſexus præterea imbecillitatem cauſata, ut ſe in tutioris vitæ conditionem aſſereret, indictis comitiis Regni Optimatibus novi Regis eligendi poteſtatem fecit. Officium Reginæ Proceres mirum quantum delectavit, cumprimis Palatinum. Nec cunctatus ille diu, Uladislaum Lithvaniæ Ducem, Regem nominat: Pro-Regis ſententiæ voluntates ſuas Optimates cæteri adſcripſerunt; moxque etiam Legatio ad Uladislaum inſtituta.

1440 Atque hæc eſt illa ſementis diſſidiorum, quæ deinde nonniſi elato Uladislao ſedari poterant. Altero namque anno Ladislaum Poſthumum enixa Regina, facti pœnitens revocatis ex Polonia Oratoribus, pacta nuper cum Proceribus inita reſcindere connitebatur. Non defuere ex Procerum, Nobiliumque corona, qui admiſſum nuper conſilium cum Regina jam demutarent: ut adeo frequentia eorum animoſior etiam pro Filio Ladislao facta, vix trimeſtrem Albæ-Regalis ſolenni ceremonia ſacro diademate incingeret, Regem evulgaret.

Unus omnium maxime Reginæ rationibus adverſabatur *Laurentius*; neque in dies hortari Uladislaum deſtitit, quo is adventum ſuum in Hungariam maturaret. Solicitam iſtud reddidit Reginam: ut *Laurentium* proinde a fide Uladislai abduceret, aureos illi montes, per nuncios pollicetur. Refert id ipſum & Callimachus, adjicit ſimul: prope fuiſſe, ut Palatinus ab Regina flecteretur, non tam ſponſione ampliſſima, quam gratia Sigismundi, cujus inſignia beneficia identidem *Laurentii* animum ad officium Eliſabethæ præſtandum excitabant. Verum ea demum *Laurentii* ſuffragium abſtulit ſententia, quæ ad ſtabiliendum inteſtinis motibus nutans Regnum tutior videbatur.

Rejectis clandeſtinis Reginæ nunciis, Uladislao denique adhæſit. Budam Regni caput, cui pro antiqua Regni conſuetudine, teſte Thuroczio, Palatinus præerat, in fide ejus, & obſequio continuit; adventanti dein ipſi Regi, cum Liberis duobus obviam effuſus, ultro arcem patefecit, eumque pro ſumma, qua tum pollebat, Inter-Regis poteſtate in ſolium extulit. Ut etiam in eo ſtabiliret, comitia decrevit Budæ, ac toti Ordinum conventui deinde præſedit. In eandem hic rurſum congregati cum Palatino deſcendere ſententiam: ut adeo collectis Procerum ſuffragiis, nil jam potius agendum videretur, atque ut Uladislaus Albæ in æde D. Stephani Regni inſignia acciperet. Præſtitum id eſt ANNO MCCCCXL. & quum ipſa ſacra corona deeſſet, (ſublata quippe

jam

jam ante per Elisabetham) alia, seu ex cranio D. Stephani, seu, A.C.
ut alii volunt, ex simulacro ejus desumpta, caput Regis incinxit. Vide *Bonf. Dec. III. L. IV. & Thurocz.*

Non modicæ fuit operæ istud: quando Uladislaus audita Ladislai Posthumi coronatione divisas Hungarorum in diversa voluntates parum æquo tulit animo; cumque subinde ad Caroli, Sigismundi, aliorumque Regum funesta exempla memoriam revocaret, fortunæ etiam suæ submetuere cœpit adeo; ut Budæ coram Procerum, Nobiliumque corona palam ediceret: ignarum se fuisse Hungaricarum rerum, neque velle se dissidiorum esse caput. Nominarent proinde Regem alium, se neutiquam commissurum: ut res suas adhuc certas, & securas in dubiam fortunam, discrimenque ultro conjiciat. Obfirmato hæc animo prolocutum nemo dubitare potuit.

Sed brevi expugnavit Uladislaum insigni, qua valebat, eloquentia Palatinus. Posteaquam enim ostendit publico omnium Ordinum consensu deferri illi Regnum, nec nisi paucos mutata sententia de coronando infante consilium iniviisse, futurumque: ut & horum conatus communi omnium studio evertantur, Proceresque omnes in manus Regis jurarent, Regnum ultro acceptavit. Consule *Cromerum L. XXI.* Uladislaus interea penitius in dies virtutem viri, & sapientiam observabat; mire etiam ejus in se promeritis delectabatur, quibus ut responderet, multis beneficiis eum ornavit, cumprimis autem, ut Magistratum Palatii retineret, edixit.

Uladislao ad Varnam cæso, severa decreta ad inhibendas 1444
mutuas in Regno injurias, de vi, de latrociniis, & cædibus evulgavit. Coactis dein in campo Rákos comitiis, suffragantibus omnium votis Joannem Corvinum, invictissimum illum Heroem, Hungariæ Gubernatorem nominavit; cujus dein etiam conatus pulchros vicaria opera promovit, si fides Jongelino. Verum quamdiu id præstiterit? Historici non prodiderunt.

LADISLAUS III. DE GARA

Palatinus Regni Hungariæ LXXIV.

Sub Joanne Hunniade Gubernatore, & Ladislao Posthumo circa Annum 1449.

GLoriam a Majoribus Natalium beneficio acceptam, pulcherrimis accessionibus locupletavit *Ladislaus.* Ne quid, quod ad ornandum genus suum esset, omitteret, Natam Ladislao Corvino sibi despondit, ut habet Bonfin. cum interea præclare partim pro Republica, partim pro Regina, Alberti Vidua, gestis rebus non destitit Principum animos sibi demereri. Nec operosum istud erat *Ladislao:*

A. C. *dislao:* quando proniore nusquam ad gratias penetramus aditu, atque dum nos bona virtus ductarit. Sigismundo Hungariam moderante Bani cum poteſtate Machovienſes rexit: Alberto dein in ſolium elato præfectura Viſſegradi, ærariique auctus, cuſtos pariter Coronæ ſacræ, quæ tum Viſſegradi attinebatur, renunciatus eſt. Alberto rebus humanis exempto ANNO MCCCCXXXIX. cum motibus inteſtinis ferveret Hungaria, nunquam ſe ab obſequio, & fide Reginæ Viduæ, pupillique Ladislai Poſthumi dicti, abjunxit; quin etiam, cum Uladislaum adventare inaudiit, non poſtremus author fuit Reginæ de Ladislao pupillo coronando.

Negotium iſtud ut conficeretur quamprimum, Reginam in Arcem Viſſegradenſem admiſit MCCCCXL. coronæque auferendæ occaſionem dedit. Uſa illa eſt in rem ſuam opportuno tempore: ablatam etenim tum coronam, exactis coronationis ſolennibus, non repoſuit, verum clam, omnibus dolo eluſis Proceribus, ſubtraxit, ac etiam dein cum Filio Friderici III. Imperatoris fidei concredidit. Addit hic Réwai in ſuo Commentario; non deeſſe Hiſtoriographos, qui ſcribant connivente *Gara* coronam ſurreptam eſſe.

Imminebat interea Uladislaus Hungariæ, multorum Procerum, & Nobilium corona ſtipatus; continuo voluntates plurium immutantur: e Proceribus non pauci ad partes Regis Poloni concedunt. Non deerant, qui & *Ladislai* animum pertentarent; verum is nec pollicitationibus, nec minis adduci potuit, ut conſiliis contra Reginam initis ſubſcriberet, Uladislaoque obſequium ſponderet; quanquam vel invitus iſtud poſtea præſtare debuerit. Indicto namque Budam Optimatum, & Nobilium conventu, quo de Rege Uladislao coronando tranſigendum erat, dum & ipſe cum nonnullis factionis ſuæ comitibus ſub incolumitatis, ut refert Bonfin. diplomate adeſt; intercepto exitu, ex arce egrediendi veniam non ante obtinuit, quam fidum in manus novi Regis obſequium juraret. Atque hæc quidem narrat Bonfinius cum Cromero, alia alii. Certe Ratkajus L. III. ſcribere non dubitavit, ſimulato tantum obſequio, ceu ad umbratilem inaugurationem Uladislai *Garam* comparuiſſe. Callimachus vero, defeciſſe eum reapſe ad Uladislaum.

Qui Uladislao favebant, nova acceſſione partium ſuarum læti, caput extulerunt animoſius; omnes mox ad reſerandum ærarium, ſacrumque diadema accipiendum cum *Ladislao* ejus loci Præfecto, feſtinato itinere conceſſerunt. Majus iſthic opinione adiit periculum. Patefacto etenim ærario, dum ſacram coronam deeſſe, ſurreptamque a Regina intellexiſſent Proceres, conſcioque *Gara* id factum ſuſpicarentur; coorta repente ſeditio plauſum communem turbavit, nec ſpem ſedandi tumultus fecit; dum ſublatæ coronæ author pœnas perfidiæ dependeret. Conſenſu omnium præfectura arcis dejicitur, ab officioque coronæ ſacræ Cuſtodis amovetur. Subſidit inde Nobilium indignatio, non populi: quo

rur-

rursum tumultuante parum aberat, quin *Ladislaus* concerperetur. A. C.
In carcerem dein conjectus mitiorem subiit fortunam. Verum nec istud tulit Uladislaus Princeps æquissimus, una & clementissimus. Indignum ratus hominem fidem suam, ut illi videbatur, secutum vinculis attineri, palam edixit: ni libertatem *Gara* recipiat, futurum, ut in Poloniam suam Hungaris valere jussis, iter relegat. Hæc *Cromerus L. XXI.*

Nefas erat Regis voluntati adversari: patuit proinde non multo post via ad eggressum e carcere *Ladislao*. Secundum hæc, intestina dissidia, amplius in perniciem afflictæ Patriæ grassari cæperunt. *Ladislaus* libertate accepta, partibus Reginæ adhærentibus se restituit: nec longo post tempore, male referens liberatori suo gratiam, temerato jurejurando, tractis potentia, & authoritate, qua pollebat, ad Reginæ obsequium multis, valido cum exercitu Uladislao imminebat. Et jam ad Sixardiense Cænobium productæ acies, formidine non levi viciniam, spebus ampliſſimis *Garam* impleverant; cum Joannes Corvinus, properatis itineribus ad restinguenda belli incendia lectissima cum militum manu accurrens, spes illas amplas rescidit, totam late viciniam metu liberavit. Pugnabatur utrinque acerrime, & principio quidem fortuna dubia; demum *Ladislaus*, qui sinistrum suorum cornu moderabatur, a Corvino victus fugam arripit. Victoriam istud Corvino proniorem reddidit, quando cæteri fuga *Ladislai* prospecta & ipsi palantes effusis habenis ferebantur: satisque habuerunt e discrimine tanto relictis castris, & impedimentis in sylvas proximas vitam extulisse.

Cessit & *Ladislao* fuga feliciter, elapsus ex prælio Strigonium incolumis ad Reginam pervenit, ut narrat *Bonf. Dec. III. L. IV. Cromerus*, *Thurocz*, *& alii*. Callimachus refert exercitum *Ladislai* potissimum e Croatis, ac Dalmatis constitisse: adjicit una, Franko, sive Francisco de Thalocz, Banatus officium administrante universam Dalmatiam, ac Croatiam opera *Ladislai Garæ* a fide Uladislai desciviſſe. Non placet istud Ratkajo, ut fidelitatem Franciſci Bani ab ignominia vindicet. Timon ad Callimachi sententiam accedit. Namque ad ANNUM MCCCCXLI. scribit: *Croatas, in partem Reginæ attractos, cum Duce suo Ladislao Gara ab Huniade profligatos.* Nostrum, litem dirimere non est. Ut tamen Callimachum hallucinari cum Ratkajo quis asserat, non satis est dixisse: Bonfinium, Thuroczium, Orbinum nusquam defectionis hujus meminisse. Vulgata tum in hos, tum in alios veteres rerum nostrarum Scriptores querimonia est: multa ab his penitus esse præterita, plurima non integre, ut evenerunt, adnotata.

Verum ut ut se ista habeant: Regina suorum cladem sine acerbissimo doloris sensu audire non potuit. Illo subinde ad ultionem excitata, *Ladislaum* non destitit impensius hortari: exercitum in Polonum quamprimum instauraret. Ille magna Corvini virtute, & mira fortuna animis, & conatu nunc dejectus, adduci non po-

A. C. tuit deinceps: ut signa cum illo conferret. Cæterum ab obsequio, & fide Reginæ non absceſſit. In Austriam illam demigrantem secutus, fortunam iterum parum sibi faventem expertus est. Captivus namque Friderici Imperatoris factus, septuaginta millibus florenorum libertatem mercari debuit, ut habet Cromerus. Bonfinius certum non apponit pretium: at plurimi ab Hungaris redemptum testatur.

Secundum hæc Regina, non sine veneni suspicione, Jaurini occubuit ANNO MCCCCXLIII. Atque hic obitus tandem pacem diu optatam Hungariæ reddidit. *Ladislaus Gara* factionis pro Regina Princeps, cum omnibus Proceribus ad obsequium Uladislai transiit; receptus ab eo in gratiam nihil deinde attentavit. ANNUS MCCCCXLV. quo communi Procerum omnium suffragio Ladislaus Posthumus Uladislao ad Varnam cæso surrogatus est, spes *Garæ* multum auxit. Nec lusit spes sua *Ladislaum.*

1449 Nondum quadriennium ab inauguratione Posthumi exierat, cum Procerum consentientibus votis in Regii Palatii Magistratum evectus, pro Rege Hungaris jus dicere jubetur. Dulcem novæ dignitatis gustum temperabat unum: se nimirum Joanni Hunniadi subesse, qui interea, dum Rex novus a Friderico Imperatore redderetur, Hungariam Gubernatoris nomine regebat. Certe istud viri, cæteroquin constantis, ita animum affecerat, ut nihil potius agendum sibi putaverit, atque ut Ladislao Posthumo, a Cæsare repetito, quamprimum dolori modum poneret.

1452 Ad fortunam ejus adjecit & hoc ANNUS MCCCCLII. quo tandem coactus ab Hungaris Fridericus Ladislaum restituit. Accessionem inde non mediocrem accepit dignitas Palatini, quem gratiosum apud Regem omnes probe norant. Et meritus est hanc ille benevolentiam constanti in Principem, adhuc pusillum fide, quam dein præclare factis amplius in dies exornavit. Nunquam, quoad per negotia licuit, a Regis latere discessit; post feliciter confectam virtute Joannis Hunniadis victoriam invisentem Belgradum, & Temesvarinum sequebatur fidelis comes, non probus consultor, ut jam patebit.

1456 Dum Rex Belgradi agit, Ladislaus Joannis Hunniadis Filius natu major, Belgradensium Gubernator, Ulricum Cilejæ Comitem, Regis Avunculum, perpetuumque Corvinorum hostem negotiorum specie ad se evocatum interemit, quo nimirum insidias sibi ab eo structas rescinderet. Neque occultum dein facinus suum esse voluit. Causæ confidens Regem cum amicis adiit, veniamque facile ob sublatum non suæ duntaxat vitæ insidiatorem, sed veteranum Patriæ hostem, seditionumque authorem obtinuit. Non probavit facilitatem Regis Palatinus. Egit cum assentatoribus quibusdam Proceribus, ut ab ea clementia Principem avocaret, illud identidem ingeminans: Ladislai Hunniadis etiamnum Juvenis audaciam, ni præsenti supplicio coerceatur, eo evasuram; ut Patris exemplo Regnum exambiat, quique nunc Regi proximum

mum vita proturbarit, in Regem etiam ſcelus quandoque auſurum. A.C.
Irritatus in hunc modum Rex ab clementia denique dimovetur:
Ladislaum cum Mathia ad exitium deſtinat.

Non latuerunt clandeſtina conſilia Eliſabetham, utriusque Ma- 1457
trem, mulierem prudentiſſimam; perniciem proinde a cervicibus liberorum depulſura identidem admonet: caverent inſidias, in Regia cauti verſarentur. Sed nimirum ſecurus quaſi ſui Ladislaus, nimiumque Palatino Socero, qui amicum animum dextre ſimulabat, credulus ultro ad fatum ſuum properabat. Tumultus, in Myſia per Turcas exciti, parabant exitio illum eripere, & jam ad ſedandos in provinciam proficiſci conſtituerat: ſervaſſet vitam, ſi propoſitum. At dum malo Palatini conſilio profectionem differt, Regiamque interea adit: ſoceri demum dolos intelligit, ſeque incautum in paratos ſibi laqueos denique induit. Obſtructis etenim Regiæ foribus, captivus ab *Ladislao* Palatino abducitur, non multo poſt fatalem ictum excepturus. Jamque triplici vulnere per lictorem inflicto ſaucius, ad coronam circumfuſæ multitudinis ſe erigit, hominum, Deumque fidem compellat, ut Bonfinius ait, inclamans: *ſe non ultra petendum, cum quartus ictus lictori ex lege interdictus ſit.* Talia proloquentem interpellat Palatinus, atque etiam cum nonnullis proceribus lictorem officii commonefaciens, enſe cervicem repetere jubet. Repetitis tandem ictibus obtruncatur. Mathias Frater in cuſtodiam conjicitur, uterque odii, quo in Corvinam domum *Gara* æſtuabat, victima.

Cædem Hunniadis nondum annus exceperat, cum Rex, fato 1458
ſuo defungitur, eo ipſo tempore, quo Nuptiarum ſolennia apparabat. Regis mors graviter affecit *Ladislaum*; ne tamen ſibi, ac muneri deeſſet, comitia ad campum Rákos edixit, quibus de novo Rege ageretur. Citra expectationem ejus, ſuffragia congregati tulerunt: Mathias etenim Corvinus e cuſtodia ad ſolium petebatur plurimorum, ac cumprimis Michaelis Szilágyi votis. Ordinum petitio prope animum *Garæ* eripuit. Nimirum non bene rebus ſuis ominabatur, ſi poteſtas ſuprema obveniret Mathiæ. Sed & ſpebus ſuis, quas ſecundum Ladislai Poſthumi obitum de obtinendo Regno conceperat, ſe dejici dolebat; gemino proinde dolore incenſus, cum Nicolao Ujlakio; cæterisque ſui ſequacibus ſententiam de Rege novo rejicit primum. Cum dein Michael Szilágyius non plurium tantum Procerum ſuffragiis fretus, ſed & armatorum numero, quibus comitiorum tempore campum Rákos inundarat, validior de ſententia deduci non poſſet: ne ſe furori partis adverſæ objiceret, non plane Mathiæ electioni repugnabat, differri tantum eam voluit eo conſilio: ut incenſa Ordinum in Mathiam ſtudia extracto negotio ſenſim elangueſcerent. Sed nimirum prorogata electio ſpes Palatini ne leviter quidem erigere potuit. Michaeli enim mordicus cum Procerum quam plurium, plebisque univerſa corona Mathiam petenti, cedendum denique erat. Neque adverſabatur deinde; duo tantum ſumma contentione

A. C. ne oravit: ut ne usquam ſibi Ladislai Corvini cædes objectaretur, & veteres injuriæ penitus abolerentur. Non gravate ſpopondit utrumque Szilágyius.

Ita aſſenſu omnium Mathias Rex delectus non multo poſt e carcere ad ſolium aſcendit. Poterat ſibi ſub æquiſſimo Principe fortunam polliceri faventem *Gara*, in Pro-Regis dignitate confirmatus; ſi animum odio, & livore imbutum exuere potuiſſet. Sed nimirum facilius immutes omnia, quam animum. Etſi ad ſpeciem omnibus officiis Regem novum coleret, clandeſtinis tamen internunciis Fridericum Imperatorem adverſus Mathiam, ac cumprimis, ne coronam ſacram reſtitueret, cum Nicolao Ujlakio, & Paulo de Lindva, ſive Banffio incendebat. Præter Corvinam domum, alieno etiam fuit animo ab Michaele Szilágyio. Regi omnia illius arbitrio, unum omnium illum maxime Principis gratia florere acerbe tulit, certus ab nefariis etiam conſiliis ſolatium accipere, quo dolorem mitiget.

1460 Nec cunctatus deinde, falſis criminationibus apud Regem Szilágyium in odium vocare connititur, at mala ſua fortuna. Evolutæ enim non multo poſt machinationes, eo Authoris demum res adduxerunt; ut Palatio Regio propudioſe depulſus Palatini dignitate exueretur ANNO MCCCCLX.

Atque hæc Bonfinii authoritate ſubnixi attulimus. Non ignoramus autem Jongelinum nobis adverſari, qui, cujus neſcio teſtimonio, in Palatinorum ſuorum Catalogo prodidit: *Ladislaum Garam* ſub Ladislao Poſthumo ultro ſe Magiſtratu Pro-Regis abdicaſſe. Nobis potior eſſe debuit Bonfinii ſententia, qui Dec. IV. L. I. ſic habet: *Hunc* (Michaelem Orſzágh) *Mathias abdicato Ladislao Gara Palatinum creavit.*

MICHAEL I. ORSZAGH
DE GUTH
Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum
LXXV.

Sub Mathia Corvino Anno 1460.

COntra, quam Jongelinus in ſuo catalogo adnotavit, *Michaelem Orſzágh* Ladislao Garæ in Palatini munere ſucceſſorem ſtatuimus. Udalricum ille neſcio quem apud Patavienſes Epiſcopum ANNO MCCCCLVI. ſub Ladislao Poſthumo Palatini dignitate floruiſſe, forte ex Dubravio, ſive Dubravecz, refert; adjicit una Legatum illum fuiſſe in Galliam pro adducenda Regi ſponſa. Verum apud patrios

trios Scriptores nullum vestigium hujus Udalrici reperire est; nec A.C.
facile nobis persuadebit Jongelinus, in hominem exterum Palatini munus translatum. Expuncto igitur Udalrico e numero Palatinorum, de *Michaele Országho* Ladislai Garæ successore narrationem inchoemus.

Florebat jam ante, tum præclare gestorum gloria, tum Principum gratia genus Országhorum; at vero florentissimum ut esset, unus omnium maxime effecit *Michael*, cui etiam illustris illa prosapia nomen *Országh* debet, cum ante non nisi *de Guth* appellaretur. Sed istud non supervacaneum fuerit ab origine referre. Ludi gratia quadraginta socios, ætate sibi non dispares collegerat *Michael*, adhuc Adolescens; in formam deinde aciei etiam instructos ipse, cæteris paulo grandior, prælato militari signo, ad ipsos pene Regni limites in Mossonienssium Provincia extra Paternum prædium lusitans, ductabat. Bona Országhorum fortuna evenit: ut pusionum hæc phalanx incurreret in Sigismundum, Ducem Brandeburgicum, ad capessendum Regnum cum exercitu in Hungariam sese tum inferentem. Mars hic innocuus stitit tantisper Principem, atque etiam ludo, ad belli, formidolosi scilicet, scenam instructo delectavit.

Tenebatur autem potissimum Martiali juvenum pro annis illis teneris aspectu, & mira pusillorum Heroum, ac cumprimis *Michaelis* Signiferi alacritate. Et erat in eo magnitudo quædam, & præstantia animi, quæ in tantilla ætate admirationem jure meruit. Sigismundo, Hungarico idiomate, quod is dum in aula Ludovici I. ageret, didicerat, qui nam essent? percontanti, ad se, utpote Ducem responsum pertinere ratus, omnium vice reposuit: *Regni*, inquit, *milites sumus*, *Sigismundumque Regem habemus*. Alacritas *Michaelis* provocavit Principem, ut quæsitis insisteret, atque, num si Sigismundus ipse esset, Regem se vellent? ultro scisciteretur; nihil iterum cunctatus ille, *se*, *atque etiam suos velle* subjecit. Responsum istud spes Sigismundi non leviter erexit; quando vel ex his, cæso licet nuper Carolo II. studiis diversis Procerum animi fluctuarent, omen accepit fore, ut pronius, ac ipse putarit, in Regnum veniat. Sed & promptitudo respondentis, alacrisque in Juvene animus mirum Regis animum abripuit: continuo *Michaelem* inter aulæ familiares retulit, cumque se militem Regni professus fuerit, *Országh*, quod nobis idem, ac *Regnum* est, eum vocari præcepit. Hæc *Dubravius*, sive *Dubravecz Scriptor Bohemus*, *& alii*.

Appellatio hæc subinde adhæsit posteris, nec invitis illis: ut qui non ignorant *Michaelem* semitam apparasse, qua deinde ad honorum fastigia prono aditu eluctati sunt. Et certe, uno illo agente, decus *Országhiorum* sub Sigismundo augescere magnis accessionibus cæpit. Singulos, qui de genere eorum amplissima in Regno munia gesserunt, recensere non vacat; satis sit cum Bonfinio, Dec. III. L. III. *Országhiorum Familiam*, *multis a Sigis-*

mun-

A. C. *mundo honoribus excultam*, retuliſſe. Sed nimirum, qui primus omnium Regem ſibi conciliaverat *Michael*, idem omnium maxime gratia Sigismundi pollebat, indubie ad ſummos honores evehendus: ni ætas adhuc imbecilla obicem poneret. Ut primum autem gerendo muneri par facta illa, *Regius Diſpenſator*, ut ait *Bonf. Dec. IV. L. I.* ſeu Magiſter Pincernarum, aut ſi mavis Quæſtor Regius renunciatur, qua etiam dignitate inſignitus, Sigismundum in Italiam proficiſcentem ſecutus eſt. Majora deſignabat animo Rex; verum fatalis neceſſitas, quæ ſapientiſſimum Principem ANNO MCCCCXXXVII. eripuit, & bonos ejus in clientem conatus abrupit.

Non inde ſpebus ſuis, excidit *Michael*, bene gnarus: virtuti ubivis locum eſſe; neque quidquam adeo ſublime, adeo acceſſu difficile dari, quo non illa duce penetrari poſſit. Sapientiſſimis hujuscemodi præceptis imbutum animum dum ſtimularet in dies ad res præclare gerendas, pronum eſt cogitare, quam ſolerter in commoda, ſalutemque patriæ evigilarit. Nec otioſi duntaxat ſpectarunt Principes induſtriam *Michaelis* operam. Rara admodum felicitate, ſecundum Sigismundi fata, gratiam ſibi demeruit quatuor aliorum Regum Alberti, Uladislai I. Ladislai V. & Mathiæ Corvini, quibus, rerum noſtrarum potientibus, ad extremum usque finem vitam cum laude ſumma, & authoritate exegit. Amabatur ab his, una ob inſignem prudentiam, virtutemque bellicam ſuſpiciebatur. Ab Uladislao Regalium Janitorum Magiſter creatus, a Regis latere quoad licuit, non diſceſſit. Belgradum proficiſcentem ſecutus, Temesvarinum etiam, atque inde Budam in frequenti Nobilium, Procerumque comitatu deduxit. Ad Ladislaum V. ut reor devoluto Regno, paulo ſublimius evectus, Regiam Curiam Judicis occupavit. Ita eximia virtus *Michaelem* ductarat, non quietura prius, quam in faſtigio clientem ſuum collocaret. Nec difficili negotio effecit iſtud, præſertim poſtquam Mathias Corvinus bona Hungariæ fortuna e carcere ad ſolium aſſumptus eſt.

1460 Æquiſſimum in hoc virtutis ſuæ, & præclare factorum nactus arbitrum *Michael*, exauthorato Ladislao de Gara, ANNO M. CCCCLX. Regium Palatium ſumma cum Palatini dignitate ingreſſus eſt. Quia vero ingenium Pro-Regis novi non juri tantum in Curia dicundo, ſed & dirimendis armorum peritia, in hoſtico litibus idoneum videbatur; ut partem in utramque promptius operam commodaret, Michaeli de Beſſenyô, viro ſolerti, legumque patriarum peritiſſimo Vice-Palatini dignitas collata eſt, qui pro *Michaele* Palatino, cum is hoſtibus arcendis ſub papilione inſudaret, jura moderaretur in Regno.

1463 Nec deerat ipſo ſtatim Magiſtratus iniri principio arma in hoſtem expediendi *Michaeli* occaſio, quando multiplici bello diſtinebatur Mathias Rex; ſed aliæ tum curæ Palatini operam expoſcebant. Ab ANNO MCCCCXL. ſacra corona, apud Fridericum Imperatorem retenta, deſiderium in dies amplius Hungarorum in-

cen-

cendebat, at ſpe cum levi; Fridericus etenim ejus, cum Regno A.C.
potiundæ, cupiditate abreptus, nullis artibus eam ſibi eripi patiebatur. Ad Pro-Regem expugnandi Cæſaris negotium pertinebat: nec ante conquievit ille, dum denique poſt annos tres, & viginti ſacrum diadema, ſexaginta aureorum millibus redemptum, Hungaria reciperet. Expletis bonorum omnium diuturnis votis, quo plauſum etiam populi ſolenniorem redderet, conventum Ordinum Albam-Regalem edixit: ubi deinde magna omnium gratulatione in Procerum, Nobiliumque frequentia Mathias diademate ſacro redimitus eſt.

Solenni coronationis officio perfunctus *Michael*, ne paci 1464
etiam, & tranquillitati publicæ deeſſet legibus partim condendis, partim veteribus confirmandis recens coronati Regis curas laudabili opera levavit. Atque his fere annis in Regia egit Pro-Rex; reliquum vitæ prope totum ſub papilione Dux.

Tranſylvanicæ autem primum, & Moldavicæ turbæ virtutem 1467
ejus bellicam exercitarunt ad ANNUM MCCCCLXVII. Cum octo equitum, & quatuor peditum millibus ſecutus Regem, utramque pacavit provinciam. Felicius tamen multo in Tranſylvanos itum: adventantis illi cum Palatino Regis arma veriti, per Joannem a S. Georgio (Szent-Györgyi) dictum, Vajvodam ſuum, electumque factioſorum ſuffragio Regem, precibus maluerunt offenſum Mathiam emollire, quam incertam belli aleam ſubire. Pervicaciorem in Moldavia nactus eſt hoſtem Mathias. Stephanus Vajvoda ejus provinciæ, ſylvarum, montiumque, quibus Moldavia cingitur, præſidio tutum ſe rebatur; pertinacius proinde ſuorum a Rege defectionem, cujus ipſe author fuerat, fovebat. Sed nimirum malo ſuo doctus eſt, nihil Mathiæ Regis, & *Michaelis* Palatini virtuti inacceſſum eſſe. Per obſtructas montium fauces patefacto partim igni, partim ferro itinere, ad Romanum forum (Roma-Váſár) caſtra Regia jam conſtiterant; exuſto oppido ad civitatem Bányam promotæ copiæ. Præter opinionem periculum hic cum Mathia Palatinus adiit.

Sub primam noctis vigiliam, urbem, vimineis tantum ſeptis circumcluſam, admotis ignibus hoſtis adoritur. Non imparatos offendit noſtros, quos jam ante Sythotus captivus de Moldavorum molitione edocuerat. Atrociſſimum proinde committitur prælium. Rejecti Valachi, ex urbe matura jam nocte in fugam ſe conjiciunt. Fuga ipſa non omnes ſalutem extulerunt. Cæſa Valachorum ſeptem millia; ex Hungaris mille, & ducenti deſiderati. Rex ipſe fervente pugna grave vulnus, ſagitta ictus, accepit. Ita poſt acre prælium, apud nos tandem victoria conquievit. Moldavia ad obſequium Mathiæ redacta, quantumvis reclamet Cromerus, cum Michovio, Spondano, & aliis. Certe Bonfinii, & Sigleri narratio vel eo titulo nobis potior eſſe debet, quod cum Epigraphe ANNI MCCCCLXVII. templo Coronenſi inſerta congruat, quæ ſic habet: *MCCCCLXVII. Mathias Rex proficiſci-*

A.C. *tur in Moldaviam poſt feſtum S. Martini, atque eam Hungariæ ſubjicit.* Nimirum hic erat fructus victoriæ. Ad maturandam autem illam, non parum contulit *Michael* Pro-Rex, non minus in certamine, quam periculo Regis comes perpetuus; ut Bonfinius teſtatur.

1468 Secundum victoriam de Stephano Moldaviæ Vajvoda relatam impendebat Mathiæ Mars Bohemicus. Cauſas illius inſtituti noſtri non eſt referre omnes, illud prætermitti non poteſt: *Michaelem Orſzágh* incurſionibus frequentibus Bohemorum provocatum, in Regni finibus mutuis cum Henrico Lippa, eorum anteſignano, decertaſſe injuriis; & quum his velitationibus Bohemorum inſolentia nihilo infringeretur, Mathiam Corvinum, valida cum manu adverſum Regem Bohemorum Georgium Podiebradium expeditionem adornaſſe. Præclaram ea durante Regiis partibus navavit operam *Michael*, ut adeo Bonfinius, quo virtutem ejus militarem compendio expingeret, Neſtorem alium non dubitarit compellare. Tanto ſub Heroe non poterat rebus Mathiæ fortuna non adfuiſſe. Erepta Georgio Trebyczium, Bruna, Spilberga, Olomucium, potioresque Moraviæ civitates cum caſtellis, & oppidis: at victoriam ipſam plurimum nobilitavit Podiebradii Filius Victorinus, in oppido Veſelenſi captus. Ita rebus Mathiæ nondum quidem confectis, at jam ad optatum exitum certo paſſu in Bohemia properantibus, cum Rege, poſt biennii in hoſtico moram, in Hungariam ſe reſtituit *Orſzághus.*

1470 Sed nimirum non ad otium. Turca Hungaris Bohemico bello diſtentis, ne opportunam ſibi occaſionem effluere ſineret, cum viginti millibus propter amnem Savum conſtiterat; & quo facilius Sirmium incurſaret, in Hungariamque ipſam, & Auſtriam pro arbitrio cædibus, & incendiis deſæviret, caſtellum Szabács conſtruxerat, ſummaque arte, & militum præſidio communiverat. Admonitus de periculo cum Regiis, tum Gabrielis Colocenſium Metropolitæ literis, *Michael* accurrit continuo, eoque curas intendit omnes: ut munitionem recens erectam ſubverteret. Verum pulchros conatus Pro-Regis eluſit barbarorum vigilantia. Ad Sirmium proinde, Turcarum incurſionibus maxime obnoxium, protegendum curas, traduxit. Utque res felicius caderet, ſumpto in arena conſilio ex adverſo in ripa altera munitionem erigit, eamque valida militum manu obfirmat.

1471 Interea, dum ita fortiter a finibus Regni hoſtem arcere nititur, ipſo in Regni gremio hoſtilis improviſo enaſcitur acies. Ducibus Joanne Vitézio Strigonienſi Archi-Epiſcopo, & Joanne Quinque-Eccleſienſium Præſule maxima parte Proceres fidem Mathiæ datam palam exuerant, ejusque in locum Caſimiri II. Poloniæ Regis Filium ejusdem nominis evocarant ad Regnum. Creſcebant in dies numero, eoque jam ſeditio proceſſerat: ut e numeroſis Hungariæ provinciis, quas Comitatus vocamus, vix novem ſuperfuerint, quæ Mathiæ parerent. Pronum erat torrente

hoc

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

hoc abripi & *Michaelem*; nisi vir inconcusso plane animo fuisset. Neque interea ab seditiosis prætermissum quidquam, quo a Mathiæ obsequio Palatinum abjungerent. Verum frustra erant: elusit omnes machinas, illud adversæ parti identidem occinens: *Quemcunque sacra corona coronatum videris, etiamsi bos fuerit, adorato, & pro sacrosancto Rege ducito, & observato.* Ita *Bonf. Dec. IV. L. III. & Gregorius Pethö in Chron. Hung. Parte II. ad Annum MCCCCLXXI.*

Isto retundebat pertinacius instantes; seque etiam acrius ad constans obsequium stimulabat; neque jam satis de Rege sibi meritus videbatur, si ipse tantum ab eo se non abjungeret, nisi etiam nutantes in officio confirmaret, seditiosos ad pristinum obsequium traduceret. Postremo isto potissimum & fidem, & dexteritatem suam probavit tum, dum jussu Mathiæ cum nonnullis Proceribus ad Joannem Vitézium Strigonii adiit, gravique oratione Præsulis animum demutavit; ad concordiam pristinam, imo & Mathiæ gratiam deinde reduxit.

Pacata Hungaria, sedataque seditionis procella, turbo alius 1479
iterum excepit Mathiam ab Alemannis partim, & Bohemis, partim a Polonis, & Turcis excitatus. Objecit magnanimum pectus Rex singulis non minus feliciter, quam fortiter; dum interea ex campo ad Palatium revocatus *Michael*, Regnum pro Rege moderaretur.

In commoda, & salutem patriæ vicaria opera incumbenti im- 1481
pendebat suprema necessitas: qua vim denique suam effundente maturus jam annis vivendi finem fecit ad ANNUM MCCCCLXXXI. post comitia Budæ celebrata. Successit *Locumtenens Regius* Urbanus Doczi de Nagy-Luche, sive Lucze, Episcopus Agriensis. Superstitem ab obitu reliquit Filium Ladislaum, qui ut meminit Timon ad ANNUM MCCCCLXXVI. in solennibus Reginæ Beatricis in Hungariam primum inductæ, gladium prætulit; dein Regalium Agazonum Magister.

A.C. URBANUS DOCZI
DE NAGY LUCHE
Episcopus Agriensis, Regni Hungariæ Locumtenens Regius.

Sub Mathia Corvino, & Uladislao II. circa Annum 1481.

1481 *Urbani* laudes hæ paginæ non capiunt; satis sit proinde ex Bonfinii testimonio præclaras ejus dotes carptim recensuisse. Pluribus is locis scribit: *Urbanum* exploratæ probitatis, & inauditæ cum integritate patientiæ, laboris indefessi, dexteritatis raræ, prudentiæque virum fuisse; studiosum insuper publici ad tuendam dignitatem splendoris, ut qui aulam frequentissimam, maximaque Nobilium, & Principum corona refertam semper habuerit. Adhæc a miti ingenio, atque ad maxima quæque tractanda instructo, fide, humanitate incredibili, profusa in literatos munificentia, aliisque non absimilibus eum collaudat. Amplius aliquid Bonfinio Galeotus Martius præstitit, dum ad calcem libri, quo, sapienter, & jocose dicta, ac facta Mathiæ Regis complexus est, in laudes *Urbani* magnifice excurrit, copioseque commemorat ejus tum excellentem prosapiam, tum insignem sapientiam, & indefessum in evolvendis libris studium; subinde etiam morum comitatem, hilaremque genium extollit; magnificos deinde apparatus, & opum affluentiam memorat, eamque cum Regulorum divitiis confert. Virum tot nominibus illustrem, quo studio prosecutus fuerit Mathias Rex, idemque æquissimus arbiter facile Lector conjiciet.

Annales nostri prodiderunt Regiorum amicorum fuisse neminem, quem *Urbano* propensiore benevolentia complecteretur. Nec difficile istud erit creditu, si ad munia, ampliſſimosque Magistratus, quibus eum Mathias exornavit, animum quis advertat. Præter infulas Sirmiensium, Varadinensium, tum Agriensium, subinde & Jaurinensium Præsul nominatus, sacrum etiam diadema Regni Custodis nomine tutatus est. Personalis adhæc ut dicimus, Præsentiæ Regiæ, Quæstor deinde Regius, Administrator Viennensis, atque etiam Locumtenens Regius dictus circa ANNUM MCCCC. LXXXI.

Ampliſſima profecto munia; sed superior longe his virtus, qua Duce ita rebus pluribus ex muniorum suorum rationibus intendebat, utsi ageret duntaxat unam. Certe nulla Mathiæ Regis injuria, partem felicitatis non ultimam, qua Regnum nostrum exeunte seculo IV. perfruebatur, ad virtutem Præsulis *Urbani* referre licebit. Nec diffitebatur istud Mathias ipse, ut adeo etiam *Urbanum consiliorum, & triumphorum suorum & ministerium & auxilium*

xilium nominare non dubitarit. Sed ne generatim tantum loqui A. C.
videamur; particulatim nonnulla præclare ab eo gesta commemorabimus.

Mathias Rex, quo securius arma Pannonica per Austriam cir- 1482
cumferret, Hamburgum oppidum, ab Friderico Cæsare validis præsidiis obfirmatum, sibi asserere constituerat. Et jam oppidum circumcluserat; verum dum ea protrahitur resistentibus præter opinionem acriter præsidiariis, eo res nostræ jam & ære, & milite deficiente adductæ sunt: ut prope receptui caneremus. In tanta difficultate, spem Regis fere labascentem erexit *Urbanus*; acciri hunc jubet, angustias enarrat, oratque: ut pro fide, solitaque sua industria exercitui prospiciat. Nondum dies quinquagesimus exierat, & jam militum quinque millia ab *Urbano* missa in castris Regiis constiterant. Ex beneficii hujus & magnitudine, & celeritate non mediocris facta est accessio benevolentiæ Regiæ in *Urbanum*; certe tum imperare sibi nequiit Rex, quin exclamaret: *Universa talem virum Hungaria, centum annis fortasse non genuit.* Elogium grande tum per se, tum quia a Corvino Mathia. Vide *Bonf. Dec. IV. L. V.*

Par subsidium quadriennio evoluto, hoc est ANNO MCCCC. LXXXVI. Regi attulit. Absente Mathia latrociniis, cædibus, omnique injuriarum genere infestum Regnum nonnulli reddidere; ad officium ut revocarentur, paxque, & securitas incolis restitueretur, non modici fuit operis. Ad consilium accersitus cum Emerico Zapolya & *Urbanus*, author fuit comitiorum, quibus sanctiones partim novæ ederentur, partim veteres instaurarentur; sicque legum securitate latronum, & sicariorum audaciæ occurreretur. Probabatur Regi Præsulis consilium: nec deinde cunctatus, omnia ex ejus sententia agi voluit. Tanta authoritas Urbano erat, tametsi anno superiore, præfectura *Locumtenentis* defunctus esset.

Non interim posita in terris Cæsari obnoxiis arma. Circumferebantur ad ANNUM MCCCCLXXXVII. sine cessatione bona Mathiæ fortuna: & jam Vienna etiam deditione accepta in ulteriorem Austriam Regius miles sese infuderat. Neostadium victoriæ cursum morabatur. Arctissima septem mensium obsidione Mathias fatigarat urbem, non minus ac suos: utpote, qui jam exhausto ærario nec ali diu, neque numero in dies, & robore amplius deficientes integrari poterant. Aderat oppugnationi cum Proceribus *Urbanus*, præsentissimum iterum Regis auxilium. Nec distulit Mathias ab eo, quem sibi utilem Hamburgi senserat, opem exposcere. Admonet: res ut suas non modice nutantes pro solita fide, & industria erigeret. Delectum continuo in provincia Agriensium habet: vectigalia solerter exigit; ac non multo post ærarium recreat. Fortassis jam id temporis rursum *Locumtenens* post Emericum de Zapolya Palatinum, qui hoc ANNO currente MCCCCLXXXVI. e vita migravit. Submissa auxilia obsessis animos ademerunt, ac brevi etiam ad deditionem coegerunt. Post

acce-

A. C. acceptam Urbem hilaritatis ſigna paſſim edita: triumphus Mathiæ adornatus, in quo Regem victorem *Urbanus* ſecutus eſt. Hæc *Bonf. Dec. IV. L. VIII.*

Dum ita per Auſtriacos Hungari armis circumſtrepunt, pacatæ Styrorum, & Carinthiorum provinciæ nequaquam eſſe licuit: elati tot victoriis hos etiam infeſtabant. Utrisque ſaluti fuit *Urbanus.* Per Legatos illi de pace Mathiam Regem ANNO MCCCC. LXXXIX. Viennæ compellarant: res omnis ad arbitrium *Urbani*, & Thomæ Jaurinienſium Præſulis relicta, deſiderato exitu, brevi terminata eſt.

Mathia Rege in præſentia *Urbani* extincto ANNO MCCCCXC. incenſa ejus in Rempublicam ſtudia extingui minime potuere. Solicitos habuit Procerum animos Regia electio: *Urbanus*, variarum partium non ignarus, comitia ad campum Rákos edixit, ipſeque primus ſtato die, Idibus nempe Maji cum validiſſimo cataphractorum, & velitum equitatu adfuit. Diverſis ſtudiis fervebant omnia, aliis Uladislao Bohemiæ Regi, Alberto Uladislai Germano aliis ſceptrum deferentibus. Nec defuere, qui Fridericum Imperatorem; qui Corvinum Joannem adhuc Adoleſcentem Regem vellent. Diſſidentibus ita Patribus ſalubrius futurum videbatur, ſi non in patulo, propeque inter armorum ſtrepitus, ſed in ſecretiore loco conſilia agitarentur.

Urbani proinde *Locumtenentis* opera Peſthini in æde Divæ Genitricis convenere, qui etiam ad congregatos ſemel, atque iterum verba fecit lingua patria, gravique oratione omnibus in deligendo Rege concordiam commendavit. Habuit pondus ſuum oratio. Demum collectis plurimorum votis rem haud ultra differendam ratus Præſul, in concione frequentiſſima Uladislaum Hungariæ Regem nominavit. Budam deinde feſtas inter acclamationes populi ingredientem concinna pro urbis foribus oratione ſalutavit. Solennia interim coronationis Albam indicta: *Urbanus* ne quid officii in novum Regem omitteret, frequenti cum Procerum corona adfuit; dumque ille Regni inſignibus decoraretur, latus Regis dextrum ſtipabat, ſiniſtrum Sigismundo Quinque-Eccleſienſi Antiſtite occupante.

In ſolium elatus Uladislaus, quo præſtita ſibi ab Hungaris officia muneraretur, animosque eorum ſibi firmius adſtringeret, bene meritos collatis honoribus decoravit. Primus in numerum eorum procul dubio veniſſet *Urbanus*, niſi jam cum ætate, tum confectis pro Republica laboribus prope fatiſcens, ipſo etiam Quæſtoris Regii munere, quo ad hunc usque annum fungebatur, ſe ultro abdicaſſet, Agrienſium tamen Antiſtitis retenta dignitate. Hoc modo Joannes Corvinus ſpe Regni evolutus, nondum plene ſedarat animum; acceſſere Maximiliani Cæſaris cohortationes, qui non tam Corvini, quam ſua cauſa Adoleſcentem, juri ut ſuo inſiſteret, identidem admonebat. Non levis hinc tumultuum novorum metus Uladislaum inceſſerat; exemit illum non multo poſt

Præ-

Præsul, dum ab Rege confirmandum in fide Adolescentis animum A. C.
Comaromium, ubi tum agebat, missus, eo rem salutaribus monitis brevi adduxit: ut Corvinus Legatos Maximiliani rejiceret primum, dein etiam cum Uladislao arma in Albertum Cassoviam obsidentem jungeret.

Albam Regalem interea deditione acceperat Maximilianus Uladislai rivalis: *Urbanus* non jam ætate tantum, sed & imbecilla valetudine fractus illico accurrit cum septingentis equitibus; neque prius inde discessit, quam ad fidem, & potestatem Uladislai Urbs rediret.

Sed jam ad fata properabat: jussus proinde in ulteriore Hungaria publicis, & privatis commodis prospicere, & Alberto, si quid moliretur, cum Comite Scepusiensi Stephano occurrere, non diu imperata Regis facere potuit. Morbo, quo? nescio, correptus non multo post in lectum decidit, ac etiam ingravescente malo, dolore omnium magno ANNO MCCCCXCII. extinctus, in tumulum. Agriæ in templo principe meritissimo Præsuli justis funebribus parentatum est: ibidem deinde ante Altare S. Crucis cadaver tumulo mandatum. In arce Vissegradiensi grata posteritas elogium construxit *Urbano* lapidique incidit. Ex eo paucula verba supersunt nostra ætate, reliqua bellorum tempestas absumpsit:

MCCCCXCIII.

URBANO PON. AGRIENSI EX NAGYLUCH ORIUNDO, ET STIRPE TRANSYLVANO, POST REGIS MAT.

At perennem memoriam viri meritissimi de utraque Repub. nulla ætas extinguet apud Antonium Bonfinium. Is non una pagina insignes virtutes complexus est Præsulis. Dec. 1. L. 1. inquit: *in rebus, quæ vel ad Divinum honorem, vel ad humanam pietatem, beneficentiamque facerent, usque adeo magnificus, & profusus Urbanus, ut neminem illi parem eo tempore Pannonia viderit.* Tum eodem fere loco Agriam urbem describens ait: *Tempestate nostra hanc Urbanus Pontifex Agriensis excoluit, qui Divo Mathia imperante claruit, vir tanti consilii, ac sapientiæ compos, ut apud Principem illum invictissimum, primum locum obtineret, omnia regeret, quæsturam perpetuam gereret, & per multos annos Prætorii præfecturam, quam Palatinatum dicunt.*

E postremis his verbis collegerit Jongelinus, Urbanum reipsa PALATINUM vocitatum ab Hungaris, non vero LOCUMTENENTEM REGIUM, quo vocabulo usus sum. In Jongelini sententiam ut concedam, adduci non possum. Neque enim mihi persuaserit, *Urbanum* Magistratu motum ANNO MCCCCLXXXV. hominem non Regi modo, sed omni etiam Nobilitati acceptum; aut sponte sua, dignitatem posuisse negotiorum, supra quam credi potest, avidissimum. Fuerit itaque *Urbanus Locumtenens Regius*

A. C. circiter quinquennio, antequam Emericus de Zapolya Palatinus crearetur ANNO MCCCCLXXXV.

Decedente isto, ut dicemus, post biennium, *Urbanus* iterum curas Locumtenentis Regii resumpsit, vacante dignitate Palatinali, ab ANNO MCCCCLXXXVII. usque ad MCCCCXCII. quo Stephanus de Zapolya Palatini munus occupavit. Hanc controversiam levi negotio componere possemus, modo diploma quodpiam a morte Michaelis Országh confectum haberemus. Post fata Emerici de Zapolya, vacasse tantisper *Palatinatum*, insigne testimonium præbet Mathiæ Regis diploma, quo immunitates Præpositi Ecclesiæ B. M. Magdalenæ de Eörs firmantur. Initium illius sic habet: *Mathias DEI gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, nec non Austriæ, Silesiæ, & Lucemburgensis Dux, Marchioque Moraviæ, & Lusatiæ, &c.* Clausula: *Datum per manus Reverendi in Christo Patris, Domini Joannis Episcopi Ecclesiæ Varadinensis, aulæ nostræ Secretarii Cancellarii, fidelis nostri sincere dilecti. Anno Domini MCCCCLXXXIX. IX. Kal. Julii. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis Hippolyto Electo, & confirmato Strigonienſi, Petro Colocensi Archi-Episcopis, &c. Item Magnificis Palatinali dignitate vacante, C. Stephano de Báthor Judice Curiæ nostræ, nec non Vaivoda Transylv. & C. Siculorum nostrorum, Mathia Gereb de Vingarth Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, Francisco de Haraszth, & Andrea de Zokol Zeurinensibus Banis, honore Banatus Machoviensis vacante, &c.* Sed longius provecti sumus in controversia nominis duntaxat. Nunc de Emerico Zapolya.

EMERICUS II. DE ZAPOLYA

COMES SCEPUSIENSIS

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum

LXXVI.

Sub Mathia Corvino Anno 1485.

ILlustris ab Heroibus suis Zapolyorum stirps, perpetuo terræ Scepusiensis dominio potens, atque etiam dein per Joannem ad Regios honores eluctata, *Emerico* Duce in Regiam primum penetravit. Militiæ is sub Hunniade Joanne fundamenta jecerat; exercita dein pluribus præliis virtute, gerendis etiam reliquis pro incolumitate Reipublicæ negotiis operam Regi, eo semper studio accomodarat, quod summi æque, ac infimi probarent. Nec Mathiam Regem a

se,

se, præclareque factis suis alienum habuit. Magnum quid ille in A. C.
virtute *Emerici* sibi pollicebatur, rem prope confectam ratus, si ad
eam gerendam is accessisset.

Egregiam viri tanti in Rempublicam voluntatem, atque etiam industriam gratiis suis prosequebatur, & fovebat Mathias; & ne qua parte deesset sibi, collatis etiam honoribus ad ampliora provocabat. Circa annum hujus seculi sexagesimum Quæstoris Regii munere decoratum fuisse ex Bonfinio liquet; adjectamque dein illi superiorum Hungariæ partium præfecturam idem testatur. Gemina hac dignitate auctus in eam temporum difficultatem incidit, quæ occasionem de patria bene merendi tantum non quotidie obtulerunt. Exhauriebatur continuis bellis ærarium Regni; partes etiam Hungariæ superiores Bohemorum Duce Giscra, tumultuantium, & Polonorum incursionibus fædum lacerabantur. Utrumque ad se pertinere bene gnarus *Emericus*, ita curabat unum, ut ne alteri deesse videretur. Quanquam cum Giscra plus negotii fuerit; sed & hic suorum clade repetita, ereptoque etiam sibi virtute *Emerici*, & Fratris Stephani, Sáros oppido, ad pacis tandem studia animum adjecit.

Pacatis ita partibus superioribus in aulam reversus Septemviris, ad Cæsarem pro Corona delegatis, voluntate Regis adjunctus est. Confecta legatione, non diu conquievit nutante Jajczensium salute. Urbem eorum Mahometes triginta millibus cinxerat, eoque diurna, & nocturna oppugnatione obsessos adegerat; ut jam mulieres ipsæ, & pueri militaria obire munia cogerentur. Admonitus de periculo *Emericus*, continuo in subsidium cum duabus legionibus accurrit: & quia non ignarus erat proniorem nobis fore adversum hostem fortunam, si astu potius, quam armis, & robore, quo longe nobis præstabant, res ageretur, in vulgus idcirco spargi voluit: Corvinum Regem innumero cum exercitu propediem adfuturum. Quo stratagema felicius caderet, præmissi & nuncii numerosi, qui in castris barbarorum commentum amplius dispergerent.

Cessit dolus; simul enim vulgari Corvini adventus cæpit, barbarus animis dejici, a fervore oppugnandi urbem remittere. Ita trepidante illo, aliis, & aliis ex ordine succedentibus nunciis ab Emerico subornatis, rumor de Regis adventu increbrescit. Non amplius in re ancipiti cunctandum ratus, a desperatione consilium accipit, relictisque munitionibus, & impedimentis, & demersis in aquas machinis bellicis obsidionem solvit: festinato demum itinere in Macedoniam trepidus se restituit ANNO MCCCCLXIV. Ita felici astu *Emerici*, nulla sanguinis profusione, impendio laboris nullo, ab acerrima obsidione Jajczenses liberati. Mox urbem novis, adversum hostiles incursiones præsidiis communivit, & beneficium una absolvit.

Ita cunctis rite ordinatis Albam Regalem contendit ad cohonestanda coronationis Mathiæ solennia. Excepit magna cum

A. C. gratulatione venientem Rex, unaque ut bene merita ejus muneraretur, Bosniæ Gubernatorem, & Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclavoniæ Banum nominat. Recreavit autem Regem mirum quantum Ducis ad Jajczam fortuna; certe illa erectus vixdum exactis Coronationis solennibus ad bellum cum Turca gerendum cogitationes advertit. Fovebat meditata Regis *Emericus*, atque, ut in proposito confirmaret, suam etiam operam largiter addixit. Nec consilium, nec operam respuit Mathias; collecto milite quamprimum Savum trajecit, superioremque Mysiam cum *Emerico* ingreditur. Obsidebat jam Regius miles Zoynichum Rasciæ oppidum: cum Mathias compendio laboris, & temporis usuvus, *Emericum* cum Prætorianis cohortibus ad expugnandum Sztrebernikum, expedit. Suscepit expeditionem magna non minus fortuna, quam animo. Immisso milite, cum gloriæ, tum argenti cupiditate incenso, tanto impetu in urbem ferebatur: ut semel, atque iterum propugnatoribus ejus profligatis, eam denique Regi Mathiæ asseruerit. Potitus oppido, & victoria numerosos Turcas in captivitatem abduxit, impositoque dein præsidio præda gravis, triumphans ad Mathiam Zoynichum etiamnum obsidentem rediit.

Adventu victoris resumpta oppugnatio: sed quæ plus trepidationis fere nostris, quam obsessis injecit. *Emericus* etenim dum se partem in omnem impigre versat, atque etiam in pericula animose ingerit, emissa ab oppidanis sagitta, graviter in oculo sauciatur. Correptus dolore, & jam etiam animo dejectus, in tentorium referri debuit. Remissius inde rem egit Mathias, Ducis vulnere perculsus. Auxit trepidationem rumor, qui tum in vulgus exierat. Passim ferebatur Mahometes cum quadraginta millibus propediem adfuturus. Fabula Turcarum Bassa authore orta; mox castra Regia pervasit. Potuit autem tantum apud *Emerici*, ex vulnere jam prius graviter affecti animum, ut Regi instanter inclamaret: Turcæ imparem esse militem Regium, longo bello, assiduoque labore fractum refici, & recreari oportere: solveret proinde obsidionem, castra amoveret.

Mathias, cui *Emerici* consilia semper probabantur, ne hic quidem rejicienda censuit: solvi demum obsidionem imperavit. Factum id ANNO MCCCCLXIV. ab exercitu toto, ea cum trepidatione narrat Bonfinius: ut relictis machinis æneis, & plerisque impedimentis ad Savi ripam se continuo receperint. Fortunæ volubilitatem hic expertus est *Emericus*; ut qui ad fugam turpem capessendam & astu, & anno eodem impulsus est, quo ipse ad Jayczam Mahometem fugarat. Sed virorum illustrium est fortunæ lapsum præclare factis corrigere; quod & præstitit *Emericus*, occasionem offerente bello Bohemico ANNO MCCCCLXVIII. cujus prosperum exitum fortitudine, sed astu cumprimis, ac sapientia maturavit: ut adeo Ulysses, & Palamedis nomen in expeditione hac a Bonfinio meritus fuerit.

Illud

Illud hic omitti non debet, quo *Emericum* nonnulli ut incon- A. C.
ſtantis fidei acerbius perſtringunt. Regem Mathiam Tranſylvanis, & Moldavis numeroſo cum exercitu ANNO MCCCCLXVII. imminentem ſequebatur, at non comes perpetuus: ut qui ab Regiis caſtris inopinato ſe abjunxerit. Diſceſſus Ducis ſolicitum Regem habuit, nec ſatis cauſa potuit perſpici. Plurimum alienarunt *Emerici* animum, ut deinde compertum eſt, invidorum calumniæ, quibus dum Mathias credulus aures accomodat, ſuſpicio, & ſimultas Regem inter, & Ducem oboritur, atque eo demum impellit *Emericum:* ut non jam a caſtris tantum, ſed & ab obſequio Regis aperte diſcedere cogitaret. Nec latebant iſta Mathiam, de placando Duce in dies plus anxium. Mutavit ſcenam Joannes Archi-Epiſcopus Strigonienſis, imminentiaque incendia adhuc in fomite extinxit: quando diſcuſſis ſuſpicionibus *Emericum* ad officium revocavit; in cujus teſtimonium reduci e Moldavia Regi, cum florentiſſimo exercitu *Emericus* occurrit, fidemque perpetuam cum ſuis ſpopondit. Ita tum quidem errorem inſtaurato obſequio correxit.

Verum gravius in Regem peccavit, aut verius peccaſſe videri poterat ANNO MCCCCLXXI. quo palam cum conjuratis ab Rege deſciverat, Caſimiroque e Polonia advocato Regnum detulerat; ſed & hunc lapſum non multo poſt bona pœnitudine abſterſit, iterum Mathiæ reconciliatus. Rogatus quondam, utriusque a Rege defectionis cauſam redderet: *defeci*, inquit, *ſed ita ut deficiendo Regi nocuerim nunquam, me vero invidoram obtrectatione expediverim.* Bonfinius etiam ab ignominia vindicare eum nititur, aſſerens: Virum illum tanta prudentia fuiſſe, ut deficiendo Regem, falſis criminationibus irritatum, ad reſipiſcendum impelleret, & arte hac, quanti foret momenti & Principi, & adverſariis manifeſtum faceret; conſervaſſe proinde hoc pacto & Regem Regno, & ſe Regi.

Liberet hoc loco illius præclare factis ſingillatim immorari, 1485
niſi inſtituti noſtri meminiſſemus. Ea certe fuere, ut generatim dicam, quæ jam dudum *Emericum* Palatio Regio moderando maturum effecerant, deinde ANNO MCCCCLXXXV. etiam intulerant, quo Mathiæ Regis voluntate Pro-Regis dignitatem accepit. Anno eodem ex muneris ſui rationibus egit cum Rege de Regno, in quod jam ex diutina Regis abſentia exitioſi mores ſubrepſerant, ad officium revocando. Id quia potiſſimum per comitia publica fieri poſſe cenſebatur, in annum ſequentem conventum Regni Budam edixit. Illo, præter ſanctiones plurimas editas, Judicium etiam Palatinale abrogatum eſt; mole proinde curarum non modica Palatinus liberatur.

Non diu deinde ſuperfuit, fatali neceſſitate ereptus ANNO 1487
MCCCCLXXXVII. Conditus eſt in templo S. Martini Collegiatæ Scepuſienſis Eccleſiæ: & ne viri memoriam vetuſtas ulla aboleret, ſepulchrali marmori hæc Epigraphe inciſa:

A. C. HIC JACET ILLUSTRISSIMUS, AC EXCELLENTISSIMUS D. EMERICUS COMES PERPETUUS SCEPUSIENSIS, ET PALATINUS REGNI PANNONIÆ, QUI OBIIT ANNO MCCCC. LXXXVII.

Vir erat Bonfinio teſte ſpectatæ virtutis, & ſapientiæ, in rebus quibusvis gerendis ſtrenuus, non minusque animo, quam prudentia, & aſtu præſtans: ætate denique, & meritis gravis, atque etiam maturus Cælo. Meliorem certe laborum partem honoribus veri DEI impendiſſe *Emericum* quis addubitet? niſi pulchros ejus conatus Religionis Orthodoxæ cauſa ſuſceptos ignoret. Huc reſpexit, ſive dum Turcas, ſacrorum noſtrorum hoſtes, a finibus Catholici Regni arceret; ſive dum Bohemorum, a Romana ſede deficientium, proterviam, & pervicaciam armis infringeret. Animos autem, & robur ad pia hæc ſtudia ſuggerebat ardens in Superos pietas, quam ut quoquomodo in animos aliorum diffunderet, Tokainum D. Pauli primi Eremitæ candidam Familiam induxit; & quo ſacra incolis promptius procurarent, Monaſterium excitavit, & ditavit; ſed cujus ne veſtigia quidem hodie ſuperſunt.

Secundum fata *Emerici* vacabat annis aliquot Palatini Sedes, obeunte munus *Locumtenentis Regii* Urbano Doczi de Nagy Luche, ut nuper monuimus. Bonfinius ad ANNUM MCCCCXCI. Dec. V. L. II. Palatini cujusdam Anonymi meminit: ſcribit præterea ejus opera Hungaros, ob pacem iniquis conditionibus initam tumultuantes, ad officium revocatos. Ad eundem annum ait: *Dominicum Albenſem Antiſtitem, & Panzolzium Palatinum* legatione pro Uladislao ad Caſimirum Poloniæ Regem functum. At manifeſtus error poſteriore hoc loco. Conſtat enim aliunde, Michaelem Palocſium, (Bonfinio Panzolzium) cum Dominico obiiſſe legationem; Palocſius autem, nullius, quod ſciam, Scriptoris ſuffragio, iis annis Palatinos inter recenſetur. Priore loco Stephanum Zapolya fortaſſis deſignaverit Bonfinius, qui opibus, ac authoritate inter Proceres facile princeps, jam tum in omnium animis Palatinus erat, anno conſequente in comitiis Regni palam renunciandus. De quo jam plura.

STE-

STEPHANUS IV. DE ZAPOLYA A. C.

PERPETUUS COMES SCEPUSIENSIS,

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXVII.

Sub Uladislao II. Anno 1492.

EMerico Fratri uti ſanguinis conjunctione, ita virtute, Herooque animo proximus *Stephanus*, occupato Palatio ardentia popularium deſideria explevit. Acre ingenium, ita progreſſu temporis excoluit: ut jam prope illi, atque induſtriæ ſuæ nihil impervium haberet. Ad vim tantam, & ſagacitatem ingenii, magnitudo animi acceſſit: militaris rei peritia, ſtudium indefeſſum in ſalute Regni propugnanda, pro qua vulnera etiam ſe accepiſſe aperte ultimis tabulis ipſe confitetur. Nec deerant viro opes, quibus ætate ſua omnium maxime apud Hungaros florebat; vel eo inter ejus decora referendæ, quod eas ſingulari munificentia exornarit. Certe ubi ſalus patriæ, aut honor poſtulabat, ita profuſum fuiſſe prodiderunt Annales noſtri: ut ſi non ſua, ſed aliena duntaxat elargiri videretur. Pulchris adeo ornamentis illuſtrem virum magnopere obſervabat Rex Mathias; & quia non tam ſuis, quam patriæ commodis intentum videbat, quo egregios ejus conatus promoveret, multis eum honoribus affecit.

Nec fefellit liberalis *Stephani* animus, Regis conſilium. Auctus dignitatum titulis plus ſe & Regi, & Regno debere bene gnarus, majori in dies contentione in commoda Reipublicæ incumbebat. Dux militiæ in bello Bohemico contra Podiebradium Anno MCCCCLXVIII. datus, pugnandi ardore fortunam Regi proniorem reddebat. Agamemnonis perſonam hoc bello geſſiſſe *Stephanum* prodiderunt Annales noſtri: ita nulli labori pepercit, periculum expavit nullum. Auctum ob rem iſthic bene geſtam multis ab Rege honoribus refert Bonfin.

E Bohemia in Poloniam traducto bello, dum Mathias cum Caſimiro Poloniæ Rege armis diſceptat, adeſt iterum Regi ſuo perutilis: ut qui Patrii Scriptoris teſtimonio in maximis quibusque periculis conſtans ei adhæſit, nec conſilio tantum, & virium robore, ac armis, ſed impenſis etiam propriis ſuccurrit. In hoſticum cum Paulo Kiniſio, ab Rege Anno MCCCCLXXIV. cum expeditiore militum manu miſſus, longe, lateque Siradienſem provinciam, & majorem Poloniam percurſans, terrorem circumtulit. Caſimirus, cum in dies terrore magis ſuos exanimari, Hungarorum contra non audaciam tantum, ſed & fortunam altius provehi ſentiret, ad pacis demum conſilia cogitationes retulit. Coaluit illa

dein-

A. C. deinde Principes inter, *Stephani* non minus, quam provinciarum commodo; in præmium enim navatæ contra Polonos operæ Trenchinium, pagosque adjacentes, vectigalia item, & portoria, quæ Trenchinienſium juris erant, ab Rege dono accepit; non multo poſt etiam præfectura Sileſiæ auctus. Ita *Ranzanus in Epit. Rer. Hung. Indice XXXIV. Idem Turocz. Bonf. Greg. Pethó, & Cromer. L. XXVIII.*

Ita feliciter gemina in campo expeditione rebus geſtis, ad tractanda pacis ſtudia operam tranſtulit, legatione pro Mathia Rege Olomucium ſuſcepta proſpero cum eventu ANNO MCCCC. LXXIX. perfunctus. Legationis ſocios habuit Georgium Colocenſem Metropolitam, & Protaſium Olumucenſium Præſulem; cum his confirmandæ pacis negotium feliciter confecit; Mathiam una pluribus præliis diſtractum, atque idcirco de pace cum Bohemis ſtabilienda anxium, multa ſolicitudine exemit.

Non abſimile obſequium anno eodem præſtitit Martino Truchſeſſo (hunc, Treslerum vocat interdum Dlugoſſus) Crucigerorum Magiſtro, quem Legati pariter cum authoritate in Poloniam miſſus, in gratiam Caſimiri reduxit, atque ad veterem ſancti fœderis religionem cum Polonis inſtaurandam gravi oratione perpulit. Adjicit Timon, hac eadem Legatione Mathiam quoque cum Polonis pacem ſanxiſſe opera *Stephani* Comitis, cui adjunxerat Wenceslaum Becicovium Bohemum.

Redintegrata cum Polonis, & Bohemis pace, expeditior ſibi jam videbatur Mathias ad injurias ſibi per Fridericum illatas vindicandas; cœptam proinde nuper in Auſtriam expeditionem majoribus, atque ante animis inſtaurat: præſertim cum Cæſar pacta CL. aureorum millia, quibus pacem ANNO MCCCCLXXVII. redemerat, dependere recuſaret. Moliente hæc Rege, probroſum ſibi fore putabat *Stephanus* Comes, ſi ipſe interea domi inglorius ageret. Primo idcirco tempore adductis ſecum mille cataphractis equitibus, velitibus quingentis in Alemannos pugnaturus Regi ſe adjunxit. At vero belli ſtatim principio cum Germanum hoſtem quærit, Turcam nactus eſt. Voluntate etenim Regis, cum Petro Gara ad arces quasdam Styriæ oppugnandas dum feſtinat, ob Turcarum incurſum Mathias cum Friderico inducias paciſcitur. Revocatur *Stephanus*, aciemque in Turcam ducere jubetur.

Mutavit hoſtem ille, & ſolum; non animos. In ſpem victoriæ ampliſſimam ſuis erectis, barbarum eo usque perſecutus eſt, dum cumulatiſſimas ab eo pœnas exigeret. Ultra Jajczam dein promotis caſtris, regionem late populatur: ad ipſum Verbőcz oppidum demum metatur. Obſeſſo illo, atque haud longo poſt tempore occupato cædibus complet omnia. Verum poſtquam hoſte cæſo triumphans, & præda gravis caſtra repetit, prorumpentibus a tergo inopinato Turcis opinione majori periculo ſe implicat. Redintegrata hic pugna, pertinaciſſime dimicatum utrinque. Accurrentibus improviſo ter centum Croatis equitibus, multo plures ho-

hostis ratus; victoriæ cursum fuga præcipiti abrumpere maluit, A.C.
quam cæptis dubia fortuna insistere.

Multa cum gratulatione victorem accepit Mathias, ut qui ob attritum recenti clade Turcam in spem venerat Illyrici recuperandi. At non tulit inquietus Friderici genius spebus tantis Mathiam recreari. Violatis induciis, Jaurinensem agrum invaserat. Pertinacia Cæsaris irritatus Mathias, reductis ex Illyrico copiis operam omnem, & conatus in Austriam transtulit, *Stephano* suprema cum potestate copiis præfecto. Amplissimum gloriæ colligendæ campum aperiri sibi expeditione hac bene gnarus ille, in eo sedulo, ac diligenter evigilavit: ut ne ullam bene gerendi occasionem per incuriam negligeret. In agro Marienburgensium jacta primum belli alea, oppidanos obsidione cinxerat; sed hanc, solita inconstantia Friderico iterum inducias postulante, brevi solvere coactus est. Rediit haud multo post Fridericus ad ingenium, *Stephanus* ad arenam. Cum sibi, ac promissis suis Cæsar non constaret, bellum redintegratur, & bona quidem Mathiæ fortuna. Ubique a nostris pugnatum prospere: in Styria pleraque oppida in Regis jam ditionem venerant. Auxit Regiorum & victoriam, & lætitiam *Stephanus* Raklspurgo per astum occupato.

Mars ita propitius non modice ad prosequenda belli studia *Stephani* ardorem ventilabat. Hamburgum Mathias ad ictum destinarat: adest *Stephanus*, & Germanorum tribus millibus, ad obsidionem Hamburgi solvendam festinantibus, speculaturus potius, quam pugnaturus principio ipso occurrit. Conjecit istud in grande periculum Ducem: dum enim a milite, atque armis imparatus in Pruckensi agro cum hoste, improviso ex urbe se ejiciente, manus conserit, conjectisque in effusam fugam cæteris, ipse acriter, & obstinate resistit, capitur: captivus deinde custodes intra duos medius Pruckum versus agitur. Medio fere in itinere, opportuno loco custodi ensem inopinato eripit, eoque utrumque confodit. Ita manibus hostium elapsus, ad Regem pervenit.

Non dejectus periculo isto *Stephanus*, acrius deinde ad vindicandam captivitatis notam dimicabat. Nec defuit rursum conatibus ejus fortuna. Certe non multo post repetita clade attritis, victoriæ, de se non milite, sed speculatore verius nuper relatæ, sensum omnem hostili sanguine extinxit. Fürstenfeldo expugnato, Viennam a citeriore Danubii parte obsidere jussus, labore indefesso, & vigilantia triumphum Viennensem maturabat. Quippe Consilio ejus, dum hyemis sævitia favente, Mathias pontes, eorumque præsidia occupat, pronior redditur victoria; quæ demum apud nos Calendis Junii, Viennensibus deditionem facientibus, placide conquievit ANNO MCCCCLXXXV.

Dulcem tot victoriarum gustum Neostadium temperabat. Fatigarat illud anno jam integro acri obsidione *Stephanus*, neque sibi reliquum fecit quidquam ad summam industriam; verum optimos Ducis conatus obsessorum pertinacia elusit: dum tandem Rege

A. C. adveniente, inſtauratáque obſidione & illa infringeretur ANNO MCCCCLXXXVII. *Stephano* ob navatam operam, præter Ebenfurtenſem dominatum, præfecturam urbis Viennenſis contulit Mathias, in qua eum deinde a morte Regis e Senatus conſulto Regina Beatrix confirmavit. At non diu Viennenſibus præfuit. Sublato Mathia, dominatu Hungaros dejicere meditabantur illi: & jam peregrino milite complebantur vici: Maximilianus ad imperium vocabatur, quin etiam appropinquare jam cum delectis legionibus nunciabatur. Non erant tum eæ vires *Stephano*, quibus gemino ab hoſte propediem circumcludendus, res ſecundas ſibi polliceretur. Maturo proinde uſus conſilio, quo impendenti exitio ſalutem eriperet, in futuraque Regni commoda ſervaret, relicto quadringentorum militum Hungarorum præſidio, clam ex urbe ſe ejecit, feſtinatoque itinere in Hungariam contendit. Hæc *Joannes Sambucus in Appendice ſua de Uladislao. Et Nicolaus Iſtvánf. L. I.*

Fervebat illa tum partium diverſarum ſtudiis, Uladislaum poſcentibus his, alium aliis. Primis adhæſit *Stephanus*, haud multo poſt tempore etiam cum Præſulibus nonnullis, & Stephano Báthor in Bohemiam ad excipiendum Uladislaum ſplendida legatione perfunctus. Peracta coronatione Uladislai, amplum ei campum aperuit annus primus ſupra milleſ. quadringent. nonageſimus, quo gemino cum hoſte prœliis totidem congreſſus, geminam pariter retulit victoriam. Primæ fructus fuit Alba Regalis Uladislao aſſerta. Ad obſidendam illam cum delecta trium millium manu accurrit, adjunctaque illa copiis Regiis, non modice obſidionem firmavit. Cum Stephano dein Bathoreo ita obſeſſos indeſinenter fatigarat: ut ad XIV. Calend. Septemb. deditionem denique facere cogerentur. Non minus gloriæ collegit in expeditione altera, adverſum Albertum Hungariam incurſantem, ſuſcepta; quando cum octodecim millibus, quæ ductarat, prœlio Polonis illato brevi victoriam confecit. Albertus fuſis, fugatisque ſuis, cum ægre Eperjeſſinum evaſiſſet, obſeſſus ibi rurſum ab Hungaris, ad arbitrium *Stephani* Comitis deditionem ſui, & urbis fecit.

1492 Inclaruit *Stephani* nomen tam illuſtri victoria apud Polonos: auxit illud ſubinde ſingulari in Albertum humanitate. Redeuntem enim in Poloniam in arce Scepuſii ſplendido hoſpitio, lautoque convivio excepit, ac ampliſſimis excultum muneribus, ad limites usque Polonicos in comitatu ornatiſſimorum ſuorum equitum deduxit: geminam de hoſte uno gloriam meritus, armorum virtute alteram, alteram humanitate. Majora jam erant *Stephani* Comitis merita, quam ut nulla viri tanti injuria diutius infra honoris faſtigium relinqui potuerint. In Palatium proinde Regium illata, continuo *Stephanum* ad ſupremam ab Rege in Hungaria dignitatem Palatini evexerunt ANNO MCCCCXCII. ut *Primum Decretum Uladislai II. eodem anno, Budæ editum teſtatur.*

Titu-

Titulo hoc ampliſſimo inſignis, Andreæ Bathoreo, & Ste- A.C.
phano Sirmienſi Epiſcopo in cuſtodia Regii diadematis ſurrogatus 1493
eſt cum Thoma Bakács ut *Révajus Cent. VI.* refert. Munus hoc quo certius expleret, ab Caſtellano Viſſegradenſi Ladislao Kolos de Néma fidem jurejurando confirmari voluit. Tot honoribus auctior, & illuſtrior, res novas molliri cæpit, Corvini Joannis caſtello, Sombor dicto, reclamante licet Rege, obſeſſo, atque etiam dein perfidia Petri Poky favente, occupato. Juſtum Regis Uladislai odium facto hoc ſibi conſciverat: atque idcirco ad Regem, magna Hungarorum, Polonorum, & Bohemorum frequentia cum Alberto Fratre Leuchoviæ conventum celebrantem, venire non ante voluit, quam ſecuritatis fidem per literas accepiſſet. Et Albertum metuebat, cujus odium ſuperiore bello incurrerat.

Verum facilitatem utriusque miram expertus eſt. Ad arbi- 1494
trium ejus multa per decurſum conventus voluntate Regum relata, non pauca e ſententia ejus ſtatuta, atque innovata. Prope extra modum magnificentia ſua, & majeſtate his comitiis Palatinus exierat. Præter maximum, eumque ornatiſſimum gravis, & levis armaturæ equitatum, quem ære ſuo conduxerat, ornatu etiam veſtium, quo Proceres cum Poloni, tum Hungari decertabant, ita eminebat: ut nullum ſibi haberet ſecundum. Toto illo comitiorum tempore, toga induebatur nulla, quæ non trium millium aureorum numum pretium exæquaret. Illud memorabile. E Polonorum Procerum corona unus aliquis, unionibus pretioſiſſimis, quo divitias Polonicas Hungaris oſtentaret, ſe onerarat: Palatinus, quaſi a Polono provocatus, continuo lapidem adeo pretioſum expoſuit: ut e veſtigio Polonus ſe victum confeſſus, veſtem illam gemmatam exueret. Majeſtatem tantam liberalitate inſigni hoc ipſo tempore nobilitavit: cum Regem Leuchoviam proficiſcentem in Saroſſienſi primum, tum Scepuſienſi arce cum toto Procerum, ac Pontificum comitatu magnifice accepit; Leuchoviæ dein cum Alberto, & Hungarorum, & Polonorum multitudine agenti ſubſidio etiam non modico fuit, maxima vi annonæ ſemel, atque iterum ſuppeditata.

Ad Tyrnavienſes, quos etiam Præfecti nomine moderabatur, ſecundum terminata Leuchoviæ comitia curas tranſtulit Judæorum flagitio expoſcente: qui ſub id tempus Adoleſcentem Chriſtianum clam in ædes ſuas abſtractum trucidarunt, ſanguineque exhauſto diſſectum in partes membratim humi defoderant. Facinoris ſocii juſſu Palatini flammis abſumpti ſunt: reliqui perpetuo Tyrnavia exulare juſſi. Hæret etiamnum memoria nefarii ſceleris in ea urbis porta, quæ ab Judæis nomen accepit.

Dum ita in ſceleratos ex muneris ſui rationibus animadvertit 1495
Stephanus Comes, per Laurentium Ujlaki, quocum affinitate, & fœdere ſe devinxerat, interpellatur. Petebat is per Legatos auxilium adverſus Regem Uladislaum, cujus indignationem merito incur-

A. C. currerat, cum ob cætera, tum ob illud contumelioſe dictum, quo Regem bovem apellare fuit ſolitus. Noluit *Stephanus*, armis cauſam injuſtam tutando, ſacrilegus in Regem eſſe, quin etiam, acrius ab Regiis copiis preſſo nunciavit: *bovem illum, quem per jocum appellare ſolebat, jam unum magnum cornu habere: alterumque modo enatum, valde in dies creſcere.* Ne tamen ſalutem amici hominis penitus negligere videretur, quod unum licebat, ad Regem Legatos ſemel, atque iterum miſit; qui pro ſe Laurentii cauſam agerent, eamque non Marte judice, ſed legum patriarum inſtitutis, ac conſuetudine dirimendam expoſcerent. Sed nimirum non placavit Regem legatio, verum amplius irritavit: ut adeo etiam velut arrogantem rejecerit. Eluſo in hunc modum conatu ſuo, conſilio duntaxat deinceps partes Laurentii adjuvat; quo eodem dum in patriæ commoda ſolerter incumbit, morbis, annisque confectus, vir toga, ſagoque clariſſimus, ANNO MCCCCXCIX. Octavo Calend. Januar. magno omnium mærore extinguitur Scepuſii.

In *Stephano* amiſſum non Pro-Regem tantum, & Ducem, ſed & Patrem amantiſſimum luxere Hungari, ac cumprimis tres liberi, quos ex Hedwige, Præmislai Principis Theſſinenſis Filia, ſuſceperat: Georgius nempe & Joannes, ad ſolium deinde Hungaricum eluctatus, & Filia Barbara, Sigismundi Regis Poloniæ poſtea Conjux. Ab his poſteaquam juſta perſoluta fuiſſent, & ſuo, & Patriæ Patri *Stephano*, cadaver Scepuſii tumulatum eſt ſub Cenotaphio marmoreo in ſacello ſanctiſſimi Corporis Chriſti, quod ipſe paucis ante annis condiderat. Monumentum gemina Epigraphe exornat.

Latus dextrum his inſcribitur:

CONTEGITUR STEPHANUS COMES HAC SCEPUSIUS URNA;
QUI DECUS OB PATRIUM MILLE TROPHÆA TULIT.
QUI DE STIRPE FUIT REGALI CONJUGE DIGNUS,
DIGNUS REGNICOLIS, ET PALATINUS ERAT.
UNA SALUS REGNI FUERAT, TUTELA, DECUSQUE:
VIRTUTIS CUJUS FAMA PERENNIS ERIT.
VIII. CALEND. JANUARII.

In ſiniſtro hos verſus legere eſt:

QUI DUXIT SINE HONORE SUOS INGLORIUS ANNOS,
ILLE SIBI MORTEM SENTIAT ESSE GRAVEM.
AST EGO, QUI FASTOS IMPLEVI INGENTIBUS ACTIS,
QUIVE PALATINEO CULMINE CLARUS ERAM;

LÆTUS EO, QUO FAS ANIMAS VIRTUTE SUPERBAS A.C.
SCANDERE, MAGNANIMOS QUO DECET IRE VIROS:
NAM LICET HIC STEPHANI JACEAT SUB MARMORE VIRTUS,
ATTAMEN HUNGARICO CLARA SUB AXE VIGET.
MCCCCXCIX.

PETRUS GEREB
DE WINGARTH
Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum
LXXVIII.

Sub Uladislao Anno 1500.

NOn diu post obitum Stephani Zapolii orbitatem luxit 1500
suam Palatium Regium, perorantibus instanter apud Regem *Petri Gerebi* meritis; quibus cum Optimatum suffragia accessissent, neque Rex ab iis alienus esset, summam *Gerebus* a Rege dignitatem consequitur. Intulit secum in Palatium Regium præter illustre genus, quo Mathiam Regem contingebat, egregias virtutes, nec paucas illas. Eminebat cumprimis integritate fidei, qua posteaquam Regis Mathiæ conatus constanter adjuvisset, eadem & Uladislao ita se probavit: ut unus ille ex omnibus post acceptam ante aulæ Præfecturam, & illustrem Judicum Curiæ dignitatem, cumprimis dignus visus fuerit, qui Regno toti jus pro Rege diceret.

Nec elusit deinde spes Regis, sive cum litibus ferverent tribunalia: sive inquieto quorundam genio provinciæ nonnullæ miscerentur: sive ab exteris arma Hungariæ intentarentur: sive quidvis aliud ad solicitudinem Regis accederet. Adfuit semper præsenti animo, maturoque Consilio Palatinus, neque conquievit ante, quam res, exitu licet difficilis, eventu optato evolveretur.

ANNUS MDII. plus solito anxium reddidit, Bajazethe Jaj- 1502
czam acriter oppugnante: unde non leve & nobis periculum impendebat. Ad avertendum illud Nobilitatem universam Rex arma sumere jusserat; nihil optatius evenire poterat Palatino, atque si se Regiis jungere potuisset. Sed nimirum prohibebant fractæ jam cum annis senibus, tum laboribus vires, quo minus generosos spiritus sequeretur. Ne tamen penitus patriæ deesset, quod ipse præstare non poterat, agi voluit per delectam manum militum, Equites nimirum ducentos, & duas cohortes peditum expeditorum: quas, magno futuras adjumento, in castra Regia submiserat, ut adnotavit *Ratkajus L. III. pag. 114.* Ita remotus, etiam

A. C. armis ſuis hoſtem a finibus Regni ſubmovebat; gloriam una, quam ex ſuſcepta in Laurentium Ujlaki Ducem Syrmii expeditione ANNO MCCCCXCIV. collegerat, conſervarat.

Sed nec irrita fuere cum Pro-Regis, tum cæterorum Optimatum Jajczenſibus impenſa ſtudia: poſteaquam enim dubio Marte aliquamdiu dimicatum fuiſſet utrinque, Turcæ ad extremum, noſtros Joanne Corvino moderante, fuſi, fugatique ſunt, quatuor millibus ſuorum deſideratis. Recens victoria Hungariam totam recreavit tum; ſed magis induciæ *Octennales*, quas dein non multo poſt nomine Uladislai cum Bajazethe, Belajus Barnabas compoſuit, ut narrat Gvicciardinus cum Spondano, & Boſio, quibus & Iſtvánf. accedit.

1504 Vulgatis illis, dum in campo Rákos indicta ab Rege comitia bonis Optimatum pro patria ſtudiis fervent, Palatinus in arce ſua Valkonenſi, vel ut alii Valponenſi, inter Dravum, & Savum ſita moritur, magno ſui deſiderio apud bonos omnes relicto. Uladislaus certe Rex triſti hoc nuncio accepto indoluit vehementer, ut qui teſtante Iſtvánffio permoleſte obitum *Petri*, propter egregiam ejus virtutem, & bellicam fortitudinem tulerit.

EMERICUS III. PERENIUS

COMES PERPETUUS ABA-UJVARIENSIS,

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXIX.

Sub Uladislao Anno 1504.

EX Veteri, ac illuſtri Perényiorum, ſive Prinyiorum familia oriundus *Emericus*, Patrem habuit Stephanum, eum ipſum, qui ſeditionem in Mathiam Corvinum per Joannem Vitezium Strigonienſium, & alterum Joannem Quinque-Eccleſienſium Præſules ANNO MCCCCLXXI. excitatam, & opibus, & authoritate roborarat, atque idcirco bonis etiam omnibus exutus eſt. Lugebant aliquamdiu Patris errorem filii, anguſtia rei familiaris miſere affecti; dum tandem integritas *Emerici* ad clementiam Regem inclinaret, ita Mathiæ cum gratia in Patris fortunas reſtituti Perénii, omnibus officiis gratum in Regem animum teſtari ſtuduerunt, atque in his maxime *Emericus*. Et quamvis Annales noſtri in memorando illo parci admodum ſint, mihi tamen indubitatum eſt, multa præclare eum pro patria geſſiſſe: ut qui ampliſſimis Regni honoribus Mathiæ ipſius, ac etiam deinde Uladislai Regum ſuffragio dignus cenſebatur.

E mu-

E munere Dapiferorum Magiſtri ad cuſtodiendæ coronæ ſacræ A. C.
præfecturam aſſumptus collegam habuit Joannem Zapolya; inde
ad Quæſtoris Regii dignitatem eluctatus, extra Hungariam ipſam
honores reperit, in Illyrico nimirum, quod cum Petro Beriſzlo
Epiſcopo Veſprimienſi, ſuprema cum Bani poteſtate aliquamdiu
moderatus eſt: & id quidem regnante Uladislao. At certus annus
ex Scriptoribus conjici non poteſt, ut ipſe adnotat Ratkajus. Cæ-
terum jam ANNO MDXIII. Banum fuiſſe teſtantur Capituli Zagra-
bienſis literæ authenticæ; & ut vocat Ratkajus *relatoriæ*.

Ex his & illud eruitur: uno tempore tum Illyrico Bani cum 1504
poteſtate, tum Segniæ, urbi maritimæ, Capitanei nomine, ac
etiam Hungariæ ſumma cum Pro-Regis authoritate eum præfuiſſe.
Ad ſupremum hunc ſecundum Regiam dignitatem apud nos hono-
ris gradum ANNUS MDIV. *Emericum* evexit; ipſo quippe comi-
tiorum tempore, quo de obitu Petri Gerebi Regi nunciatum,
conſentiente Procerum, Nobiliumque corona Palatinus renunciatus
eſt. *V. Dec. Uladislai Anni MDIV.*

Sublatus ad tantam dignitatem, nihil æque curavit, atque ut
authoritatem ſuam qua opibus, qua favore Procerum, ac Uladislai
cumprimis gratia ſtabiliret. Dorotheam idcirco Kaniſianam, Pe-
tri Deceſſoris ſui Viduam, in thori ſociam accepit, fortunato pla-
ne conjugio, ita quippe in arcis Valkonenſis, ac prædiorum ad-
junctorum poſſeſſionem opulentam venit: dum interea ANNUS
MDVI. bene merendi de Rege ſtudium per mortem Annæ Reginæ
ultro Pro-Regi obtulit.

Angebatur ejus fato Uladislaus ſupra, quam dici poſſit, im- 1506
modico dolore, pene jam cum boni communis diſpendio ad annum
usque alterum producto. Non ignoravit Palatinus ſuarum eſſe
partium Regis, & Regni incolumitati proſpicere; inito proinde
cum Optimatibus conſilio tum ad temperandum afflicti Uladislai
mœrorem, tum ad ſtabiliendam in annos etiam venturos Hunga-
riæ pacem, Ludovicum, nondum bimulum, vivo adhuc Uladis-
lao Patre conſortem Regni Hungariæ declarandum, ac Regio etiam
diademate incingendum pronunciavit.

Cum id ipſum Bohemi pollicerentur, atque etiam cum Hun- 1507
garis non multo poſt promiſſa impleviſſent: recipere animum Ula-
dislaus, luctusque diuturnos abſtergere cæpit. Ita provido Palati-
ni conſilio, ſuffraganteque Procerum ſententia Regi, & Regno
proviſum. Ludovico rite coronato univerſa cum Rege Hungaria
lætiorem induit faciem, profuſius certe in jubila, & plauſus abitura:
niſi dulcem recens enatæ lætitiæ guſtum ſubito erumpens contagio
temperaſſet. Et jam malum eas vires acceperat, ut brevi tota
Hungaria, ac cumprimis Budæ graſſaretur.

Rex ne ſalutem ſuam, & liberorum, in apertum diſcrimen 1511
conjiceret, Poſonium primum, deinde Hunnobrodam, Moraviæ
civitatem ſe recepit; hinc Wratislaviam profecturus ad compo-
nenda graviora quædam cum Sileſiis negotia, *Emerico* Palatino,

&

A. C. & Cardinali Thomæ Bakácſio adminiſtrandi Regni negotium dedit, datis etiam ad Proceres, & nobiles literis: quibus voluntatem ſuam aperuit, utque ei morem gererent omnes, pro poteſtate imperavit. Utrique ad arbitrium Regis ſe conformarunt, Palatino potiſſimum cum collega ſuo ſatagente: ne quid tumultuum in Regno enaſceretur; atque ita gemino malo vexatum, ſi non collabaſceret, nutaret ſaltem. Nec periit opera, quam navavit. Pacata fuere omnia abſente Rege, qua eadem pace dein ad ANNUM MDXIV. producta, mirum in modum Hungari recreati ſunt.

1514 At annus hic exitialis fuit Regno, miſcentibus omnia Duce Georgio Doſa militibus cruce ſignatis. Eo jam proceſſerant, ut nulli ſecurum eſſe in Regno liceret. In tanta ſeditioſorum ferocia Rex non cunctandum ratus, Proceres ad conventum evocat; quo cum conſiliis de infringenda Crucigerorum potentia certatur, in eo denique ſententiæ plurimorum conquievere: ut apud *Emericum* Palatinum poteſtas ſuprema eſſet injurias illatas armis vindicandi. Lubens in expeditionem hanc Regno non ſalutarem tantum, ſed & maximopere neceſſariam operam ſuam Ducis nomine contuliſſet Pro-Rex: verum cum deflexa in ſenium ætate, & morbo articulari non ipſi tantum Palatio, ſed & lecto affixus, belli munia obire non poſſet, provincia hæc operoſa in Joannem Zapolyam transferri debuit. Confluxere interea ſub ſigna Regia Nobiles copioſi; Palatinus etiam auxilia ſubmiſit. Itum proinde in agreſtem turbam, quæ demum cum gemino prælio, ad Temesvárinum uno, Claudiopolim altero cæditur, fugaturque: priſtinam Hungaria malaciam recipit.

1515 At vero id rurſum habuit Regem ſolicitum, ut pacem nunc bona incolarum fortuna revocatam in Regno ſtabiliret. Ad tam ſalutares curas leniendas opportunius ſuccurrit nihil, atque ſi Auſtriacis cognatione ſe devinciret. Præſtitum id non multo poſt. Ludovicum etenim Filium cum Maria, Maximiliani Cæſaris ex Philippo nepte, futuri matrimonii ſponſione copulavit; Cæſare invicem promittente Annam, Uladislai Filiam alterutrius e nepotibus, Caroli, aut Ferdinandi, cum adoleverint Conjugem futuram. Acta hæc Viennæ ANNO MDXV. ſolennia ternis potentiſſimis Principibus præſentia ſua cohoneſtantibus: ipſo nimirum Cæſare Maximiliano, Uladislao deinde Hungariæ, & Sigismundo ejus Germano Poloniæ Regibus. Conventu eodem & fœdus inter utrumque ea lege initum: *ut Regnum Hungariæ, ſi ſtirps Ludovici Uladislai Filii, quod & evenit, deficeret, ad eum Cæſaris nepotem, qui Annam, Regis itidem Uladislai Filiam, ductarus eſſet, eorumque liberos, certo juris hæreditarii nomine recideret.* Vide *Iſtvánffium L. VI.*

Pactiones in hunc modum transactæ, atque etiam deinde evulgatæ, Palatini animum non mediocriter affecerunt. Certe privatim iis adverſari non ſatis habuit; vicatim præterea Poſonii curru circumvectus, cum dolore articulorum æger non aliter pu-

bli-

blicum adire posset, Statuum, Ordinumque Regni, & Palatini no- A.C.
mine elata voce pactis Viennensibus se repugnare proclamavit: idipsumque repetitis vicibus effusæ ad insolitum spectaculum multitudini occinuit. Solicitudine multa Principem utrumque implevit Palatini factum; aucta illa subinde, dum ab Rege acerbius reprehensus, atque etiam dicta sua retractare jussus, nihilo se a consiliis discessurum obstinate affirmaret: quin etiam ad oppetendam in causa hac mortem honestam, si ita sors tulerit, paratum se asseveraret. Spes una adhuc Palatini, largitionibus emolliendi supererat; arcem Sáros, Eperjessinumque civitatem Uladislaus pollicetur, effecturumque se una apud Cæsarem adpromittit: ut bona ejus gratia Sacri Romani Imperii Princeps, ac Dux Sárossiensis nominaretur. Moveri jam de sententia paulisper cæpit, eo ampliſſimis Uladislai pollicitationibus adductus: ut non Palatini quidem, at privato tamen nomine pactionibus Viennensibus subscripturum se diceret. Remissio hæc propositi, Regis animum recreavit, inque spem bonam erexit. Nec dubitabat jam, quin mox Palatini etiam nomine in sententiam suam concessurus esset *Emericus*. Sed nimirum maturare oportebat negotium; quo celerius proinde voluntatem ejus ad sua consilia penitus traduceret, in Sárossiensis arcis dominatum illum quamprimum infert; & Cæsar Maximilianus jam Principatus Imperii diploma magnificum expediebat.

Cum ita fervent solicita duorum Principum in ornando *Eme-* 1517
rico studia, morbo is gravi corripitur; quo in dies amplius ingravescente, suprema demum necessitas Budæ commoranti manum injecit ANNO MDXVII. funereque ejus Uladislai, & Maximiliani curas abrupit. Buda magnifico cum apparatu elatum funus, Uladislai voluntate Ludovicus Rex, ornatissimo Procerum, & Nobilium comitatu stipatus, ad Danubii usque ripam sequebatur. Inde cadaver in oppidum Terebes delatum, justis funebribus rara magnificentia persolutis, in templo ejusdem loci tumulo mandatum est. Istvánf. L. VI. narrat, supremis tabulis petiisse Palatinum solicite: suum ut funus ad Danubii usque ripam Uladislaus prosequeretur; Proceres vero, & Primores Regni trajecto amne Pesthinum deducerent. Præscripsisse ad hæc minutim de numero cereorum, ac tædarum funebrium; curruum etiam, famulitii atrati, & Sacerdotum. Definivisse demum in singulos dies pompæ funebris progressum, & loca, quibus paulisper conquiesceret. Testamentum hoc idem dicit arrogantiæ, & ambitionis plenum; cujus causa vel fato functus haud immerito a nonnullis derisus fuerit.

Utcunque se ista habeant; Palatinum *Emericum* Romanis Sacris ad profusionem usque fortunarum addictum fuisse, gemina cum templis totidem Asceteria, quæ pia liberalitate a fundamentis eduxerat, testantur. Utrique D. Pauli primi Eremitæ Alumnos incolas dedit; de Uikőz dictum alterum, alterum de Terebes,

A.C. in quo conditum diximus. Postremum ad Pro-Regis dignitatem evectus auctius etiam reddidit, ut habetur in *Hungaria suis cum Regibus compendio data.* Asceterio huic sacra ædes adnexa illa est, quæ, cum in ea deinde Perenii tumularentur, & Petro, ab adducta in Hungariam Hæresi plurimum nominato, obtigit. Stat moles etiamnum, Divinæque ultionis passim notæ monumenta ostentat hodiedum in fornice, repetitis fulmineis ictibus pertuso. Sed nec quidquam inde in illustrem Pereniorum prosapiam dedecoris censor iniquus derivet; major illa est, quam ut unius sordescat maculis, & gloriam, quam e tot Heroibus suis, suorumque præclare gestis, & administratis Reipublicæ amplissimis muniis, ad Palatium etiam Regium per *Emericum* evecta collegit, amittat.

STEPHANUS V. BATHORI

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXX.

Sub Ludovico II. Anno 1517. & sub Ferdinando I. Anno 1526.

BAthoreum genus in duas divisum frondes, Ecsedinensem unam, alteram Somlojanam, utramque pacis, bellique artibus clarissimam habuit. *Stephanus*, cujus res gestas compendio recitamus, Somlojanam, fide in Domum Austriacam, consiliorum magnitudine unus omnium maxime illustravit. Transacta in bonis literis ediscendis pueritia, bellicis pariter artibus sub optimis Ducibus ut imbueretur, in aulam Regis Mathiæ Corvini transfertur. Mathia fatis erepto, Uladislao II. operam suam addixit, quem Hungari ad regnum capessendum MCCCCXC. accersiverunt. Floruit vero tanta gratia apud hunc Regem, tantaque authoritate, ut cum primi nominis Proceribus, Ludovico filio Pragam proficiscenti ad accipiendam Bohemiæ coronam, itineris comes daretur.

Sed prope exitio fuit isthæc profectio *Stephano.* Nam levi de causa Hungaros inter, & Bohemos certamen Pragæ exortum, atque majori numero concurrentibus Bohemis, XV. ex Hungaris ceciderant. *Báthorius* quo furentium impetum frangeret, copioso auro post tergum sparso, iram temperavit, atque incolumis in arcem evasit. Redux in Hungariam majus præter opinionem periculum invenit. Georgius Siculus cognomento Dosa, comparato e rusticorum agminibus exercitu adversus Turcam, nefario consilio ad Nobilitatem opprimendam arma convertit. Victus, victorque late ferro, igneque agros vastabat, viros summo loco natos deposcebat ad cædem, & reipsa Stephanum Telegdium, Nicolaum Csákium Episcopum Csanadiensem, aliosque illustres viros,

ros, barbarum in modum trucidat ad ANNUM MDXIV. *Báthorium* A. C.
ipsum præfectura Temesiensi auctum, obsidione Temesvárini fatigabat. Sed felici eruptione facta, & pugnam, & fugam operis intulit, majorque pars a Báthoriano milite interfecta. Hac clade Georgius ferocior, cœptæ oppugnationi institit, & majoribus machinis mœnia verberavit. *Stephanus* sui, suorumque solicitus Joannis Zápolyii Transylvaniæ Vajvodæ opem implorat. Hic, etsi privatas cum *Stephano* simultates aleret, tamen Reipublicæ causa justo cum exercitu (adnitente Verbőczio, cujus consiliis plurimum tribuit) Georgii copias tanta clade attrivit, ut quibus ferrum pepercerat, Temesis hauriret.

Restituto hunc in modum libertati, summum discrimen Pro-Regiæ dignitatis aliquando amittendæ imminebat. Contenderat enim multis Vaivoda, ut ne ullum Magistratum se inscio ambiret, minus acciperet. Hunc enim Zápolyius ætate, genere, divitiis sibi parem vidit, & vehementer angebatur, ne Palatinatum ereptum iret, quod feliciter, ut jam nunc videbimus, evenit.

Emerico Perényio, vita, & munere Pro-Regis functo, in 1517
campis Pesthanis, comitiis celebratis, *Stephanus Báthorius* tum Nobilium suffragiis, tum Regis Ludovici consensu suffectus est. Istvánffius L. VI. prodit, *Báthorium* in his comitiis pactionis admonitum fuisse a Zápolyio. Damus illius verba: *Is* (nempe Zápolyius) *cum Gubernatorem Regni se fieri non posse, contrariorum suffragiorum interceſſione, quæ factionem ejus superabat, animadverteret, ad Palatinatum consequendum tacite contendebat. Sed cum tam Regis, quam Procerum utriusque nationis vota, ambitioni, potentiæque ejus adversari pro comperto haberet, quorum maxima pars ad Báthorium inclinabat: nuncios secreto mittit multa pollicendo, admonendoque promissorum, quæ armis agrestium in summum deductus periculum, obsessusque, sibi dedisset; nempe Magistratum nullum, se inscio, aut inconsulto petiturum, aut oblatum accepturum: proinde, ut memor eorum, sibi æquo animo cedendum existimaret hortabatur. Verum Báthorius, suasu Cardinalis* (Thomæ Bakácsii) *& Bornemiszæ, qui disturbandis Vaivodæ consiliis invigilabant, breviter respondit: se eam dignitatem nec unquam ambivisse, neque si offeratur repudiaturum, ne degeneri animo, & ignavo, ei se imparem fateretur.* Hæc Istvánffius.

Vaivoda Gubernatoris Regni, atque Pro-Regii Magistratus 1524
spe evolutus, haud æquo animo Bathorii dignitatem tulit. Quapropter Stephanus Verbőczius, Michael Zobius, Vaivodanarum partium perquam studiosi, conciliabulum Hatvanini, contra ac per leges Hungariæ licuit, ANNO MDXXIV. congregant, consilia patriæ funesta cudunt, dignitate Proceres, pro sua libidine spoliant, *Báthorium* denique ambitus, ut ajebant, lege damnatum, dignitate Palatini dejiciunt, eamque Verbőczius a factiosis oblatam acceptat. Quasi vero vir clarissimus malis artibus, vel aularum lenociniis id honoris obtinuerit. Par certo huic muneri ha-

A. C. beri debuerat, ſi invidia ad felicitatem unice intenta, ad merita, quæ plurima numeravit, non cœcutiviſſet. Sed Ludovicus, integerrimus virtutum cenſor, Magiſtratum *Báthorio* reſtituit. Vide *Dec. Ludovici II. Regis Anni MDXXVI. art. XXII. & XXXII.*

1526 Interea dum domeſticis factionibus ardet Hungaria, Solymanus Turcarum Imperator comparato ingenti militum numero (trecenta millia noſtri Annales fuiſſe perhibent) infeſtis ſignis Ludovico imminebat. Pro-Rex, ne quid detrimenti Respublica caperet, perdiligenti ſtudio, arte, comparavit omnia: meritus victoriam, niſi hoſtium numerus, & fatalis quædam fortuna eam eripuiſſet. Collectis itaque tribus millibus Ludovicus cum Palatino Buda egreditur ad xv. diem Julii, eumque cum exigua manu Tolnam præmittit, Nobilitatem ut ad arma capienda concitet, hoſtemque Dravo prohibeat. Et quamvis eo temporis ſiniſtra valetudine vexatus, ex pedibus laboraret, tamen imperata facturus generoſo magis animo, quam felici exitu ad Dravum cum expedita turma equitum, atque cohortibus proficiſcitur. Verum Nobiles abſente Rege (quæ temporum iniquitas fuit) Palatinum aſpernati, negabant ſe arma laturos, aut Dravi ripam defenſuros, niſi Rex ipſe pugnantibus ſe miſceret. Hinc factum, ut *Báthorius* re infecta ad Regia caſtra iter relegerit, Turcæque Dravum, nullo obſiſtere auſo, transmiſerint.

Interim Duces exigui exercitus ingenti ardore pugnandi ſuccenſi, Regem, Palatinumque ad Mohácſienſes campos, quos magnam partem Solymanus inſederat, pertrahunt. Ordinata in pugnam acie, Palatinus Regem, ordines obequitantem ſecutus, militibus coram adeſſe oſtendit: hortatus memores patriæ, Regis, fortunarum, manus cum hoſte conſerant, prælium more Majorum ineant. Verum qua infelicitate initum ſit? Sambucus, Iſtvánffius ſuo more eleganter; externique Scriptores copioſe enarrant. Nos ſolum, quæ Palatinum attinent, dicemus. Is, etſi principio fatalis pugnæ Regium latus cingeret, tamen ubi aciem poſt acerrimam defenſionem disjici, ac noſtros multitudini hoſtium cedere vidit; modo in primo, modo in ſecundo verſatus agmine, qua voce, qua exemplo militem erexit, trucidatisque non paucis Turcarum, equis etiam haſtarum cuſpidibus ab hoſte transfixis, mutatis, Regias partes, quoad potuit, præſenti animo propugnavit. Tandem plurimis e noſtris cadentibus, cæſo Nobilitatis flore, ac peditum robore, fuga, qui ſupererant, arrepta, ipſe quoque ſe cædi eripuit, ut nimirum eam gloriam aliquando ferret, quod Regnum Hungariæ Ferdinando tradiderit, perpetua ſerie ad noſtra uſque tempora, ab Auſtriaca Domo gubernandum.

Perditus exercitus, Ludovicusque in Cſelye paludis lutulento gurgite equo ſupino corruente ſuffocatus, non Pro-Regem modo, ſed cunctam Hungariam mœrore confudit. Nimirum tunc ſinceris lachrymis publicæ cladi indolemus, ubi ea cum domeſtico funere conjuncta eſt. Sed abſterſo per inducias dolore, non de-

fuit

fuit Patriæ Pro-Rex. Comitiis enim priſco more Hungarorum A.C.
pro ſua authoritate Poſonienſem in urbem edictis eodem anno ad menſem Decem. Ferdinandum Archi-Ducem omnium ſuffragiis Regem promulgat. Joannis vero Zápolyii a diſſidente Procerum parte in Regem electi actis, lege lata intercedit.

Sedata hunc in modum calamitate publica, in eam primum curam Pro-Rex incubuit, ut Ferdinandus armis Zápolyium in ordinem redigat, coronamque Hungariæ ſuſcipiat. Adfuit ille lecto cum exercitu, occupatisque urbibus Jaurino, Comaromio, Tata, Strigonio, Buda, potiſſimum *Báthorii* opera, Albæ demum diademate redimitus, relicto Budæ ſui loco Pro-Rege, Viennam rediit. Quo vero animo Regis Ferdinandi partes amplexus eſſet, & civium ſalutem; plurimis rebus oſtendit. Joannes Zápolyius Danubium ſua ſub poteſtate habuit, claſſeque bellicis machinis optime inſtructa, utramque ripam oberravit. Pro-Rex, quo Joannem Danubii dominatu excluderet, Stephano Réwajo ex animi ſententia rem agente, claſſis Gubernatores Joannem Filleresium, & Andream Fogaſſium eo perpulit, cum omni apparatu ad Ferdinandum ut deficerent: quo detracto ſubſidio, vehementer Joannis fortunam perculit. Verſus deinde ad Rempublicam gubernandam, ne mutuæ inter cives rapinæ, aut cædes fierent, ſartaque, & tecta omnium jura conſervaret, labefactata temporum injuriis inſtauraret, ſtrenue adlaboravit. Vixit deinceps emeritam ſenectutem in arce Dévénienſi, ex qua, tanquam ſpecula, Hungariam circumſpiciens, Palatinali authoritate Regnum moderabatur.

Tandem ANNO MDXXXV. ætate, ac multiplici labore confectus, vitam magnanimam potius, quam felicem poſuit in arce Dévénienſi haud procul Poſonio ad Danubium, & Moravam poſita, quam ei Ferdinandus ad incitas redacto (nam Joannes ampliſſimas ejus fortunas occupaverat) donavit: relictis filia Clara, e conjuge ſua Sophia Conradi Ducis Maſſoviæ filia ſuſcepta, ac tribus filiis Stephano, Chriſtophoro, Andrea, qui non degeneres a virtute paterna Principatum Tranſylvaniæ obtinuere: & Stephanus ſupergreſſus fortunam Fratrum, nomen magni Regis Poloniæ ab omnibus tulit. Tumulo illatus eſt Poſonii in principe ſacra æde Divo Martino dicata, non ſine dolore Ferdinandi Regis, ſuorumque popularium.

Extincto *Báthorio*, dignitas Pro-Regis ſucceſſorem annos undeviginti non habuit. Vicarii tamen Regis, ſive *Locumtenentes Regii* jura adminiſtrarunt: quibus ſubinde Pro-Palatinus, ſeu vice Palatini functurus Franciſcus Réwai additus eſt: diviſa in duos Palatini dignitate, ut patet ex Art. XXVIII. Decret. Ferd. I. Imper. MDXLII. *Quantum vero ad juſtitiæ, aliasque Regni adminiſtrationes attinet, ſumme neceſſarium eſſet eligere Palatinum, id tamen cum in præſentia vel ex eo commode fieri nequeat, quod in Comitiis Generalibus, & non in particularibus, per ſuffragia omnium Statuum, & Ordinum Regni, Palatinus eligi ſolet; Statutum eſt*

A.C. *igitur, ut ex nunc per ſuffragia Statuum, & Ordinum Regni, eligat Majeſtas Regia idoneum quempiam Judicem Cauſarum, quæ in præſentia Palatinali verti conſueverunt.*

Sed antequam ad Locumtenentes devolvatur narratio, meminiſſe nos oportet duorum Palatinorum Joannis Regis de Zápolya, qui cum Regibus Hungariæ ab Hiſtoricis accenſeatur, & in ipſis Decretis Regum noſtrorum eo nomine compelletur, illius Pro-Reges a Palatio arcendos minime putabamus.

MICHAEL II. KESERŐ

Palatinus Regni Hungariæ LXXXI.

Sub Joanne de Zápolya Anno 1526.

1526 SEcundum fata Ludovici II. Regis ad Mohácſium interempti Hungaria in partes ſciſſa, uti duos Reges Ferdinandum I. & Joannem de Zápolya, ita & duos Palatinos *Stephanum Báthorium*, & *Michaelem Keſerő*, illum Ferdinando, hunc Joanni adhærentem habuit. Nempe utriusque Regis intererat Palatini Magiſtratum oſtentare per Hungariæ provincias, quo partes ſuas firmarent. *Michael* Joanni addictus, ejusque fortunæ jam in Tranſylvania innexus, Palatinus vulgatus eſt ANNO MDXXVI. eo videlicet tempore, quo Joannes Rex Paulum de Várda Agrienſis Eccleſiæ Antiſtitem, Strigonienſi tiara donavit. Uterque in coronatione Albæ Regali ſuo munere eſt functus.

Poſt inaugurationis ſolennia, cum videret *Michael* plerosque Procerum Ferdinandi partes amplexos, & ipſe cum Petro Perényio, cujus fidei ſacra corona cum reliquis ornamentis Regiis tradita fuit, eorum legit veſtigia, aut certe ferream illam tempeſtatem peroſus, quieta conſilia agitavit. Quidquid iſtud fuerit, minus proſpere ceſſit. Namque Perényius, audito Solymani in Hungariam adventu, ANNO MDXXIX. ex arce Szikloſienſi cum ſacro diademate Sáros-Patakinum, veluti in tutiorem locum contendit. Itineris ſocium ea in fuga *Michael* egit. Joannes Szerecsenius Zápolyanus Dux fugientes perſecutus, utrumque in oppido Kaidocs nocturnis horis intercepit, ut meminit in ſuis *Commentariis Franciſcus Forgács Epiſcopus Varadinenſis, & Regni Cancellarius;* cujus verba recitat *Petrus de Réwa Cent. VI. Perényius*, inquit, *cum Michaele Keſerő Palatino Regis Joannis captus: eaque occaſione tandem corona ad Joannem rediit.* Traditi primum Joanni Bánffio de Lindva, in arce Sopronczа (Croatis Stupenicza) carceri mancipantur.

Perényus ſubinde ad Solymanum in campo Mohácſienſi caſtra metantem, cum corona dimiſſus apud Joannem Regem priſtinum

lo-

locum gratiæ obtinuit, Solymano agente. De *Michaele* altum si- A. C.
lentium apud Hiſtoricos. Crediderim eum a Joanne exauthoratum, cum anno conſequente hoc eſt MDXXX. Joannes Bánffi Palatini munia obierit in aula Zápolyii. Illud præciſe adnotavit Petrus de Réwa loco laudato: *nec Michael Keſeró Palatinus ulterius quicquam boni ad nominis ſui exiſtimationem egiſſe fertur, amaramque, id quod nomine ipſo præfertur, & acerbam memoriam meruiſſe.* Idem tamen Réwajus in ſuo Commentario de ſacra corona Regni Hungariæ adnotavit: *poſtquam Solymanus a Joanne accitus, magno cum exercitu in Hungariam irruiſſet, Petrus Perényi, qui jam Ferdinandi partes ſequebatur, metu compulſus, cum tota familia, & Regia ſupellectili, ex arce Siklos tutioris permanſionis, conſervationisque cauſa ad Sáros-Patak fuga contendens, in via a Michaele Keſeró, ex parte Joannis Regis Regni Palatinus captus eſt, ac dum pactione coronæ, caput, uxorem, totam denique familiam redemiſſet, corona, reliquaque Regni inſignia, in manus Solymani devenerunt.* Verum Iſtvánffius ad calcem L. x. hoc facinus Szerecsenio attribuit, & Forgácſius *Michaelem* captum memoriæ prodidit, quorum authoritatem præferendam exiſtimavi. *Michaelem Keſeró* excepit Joannes Bánffi.

JOANNES IV. BANFFI
DE ALSO LINDVA
COMES DE VERÓCZE,
Palatinus Regni Hungariæ LXXXII.

Sub Joanne de Zápolya Anno 1530.

EVetuſta, nobilique proſapia Bánffiorum natus *Joannes*, in armis potiſſimum ultimam ætatem traduxit. Secutus Ludovicum II. in campum Mohácſienſem cum Batyánio, & Táhio, ut ſcribit Iſtvánff. L. VIII. e fatali prælio alterius beneficio ſalvus evaſit. Lubet rem ipſius Iſtvánffii elegantis Hiſtorici verbis enarrare, qui poſtquam Procerum ſtragem deſcripſit, ita hiſtoriam perſequitur: *ex qua ſtrage Batyánius, & Táhius ægre ſeſe explicuere. Palatini* (Stephani Báthorii) *equus, quum ardore ſolis, ac curſus labore fatigatus, amplius ſeſſorem vehere non poſſet, hoſtesque inſtarent, a Paulo Caprario, familiare ſuo, equum recentem popoſcit, & impetravit: ipſeque licet pedibus æger, adjutus tamen ab illo, propere eum conſcendit, & in tutum abiit, Caprario a Turcis capto, & abducto: quem tamen ille ſuo ære redemit, & magnis affectum beneficiis, & honoribus exornavit; interque fugiendum in Batyánium incidens,*

ſimul

A. C. *simul ambo Babocsam cum paucis admodum contenderunt. Haud dissimili etiam fidelis obsequii genere Alexander Bakácsius Joanni Bánffio equum postulanti opportune obtulit, cum equus illius laboribus, & vulnere nimium debilitatus fatisceret: & Joannes quidem vitato periculo manus hostium effugit, Alexandrum vero a Turcis captum grato animo redemit; & ædem, quam Divo Joanni Baptistæ in prælio, si incolumis evaderet, voverat, Lindvæ ædificandam, dedicandamque curavit.* Ex quo intelligas, *Bánffii* non vulgarem pietatem erga Superos fuisse, qua magis armatus, quam telis, in campum prodiit, sed cæsa Nobilitate Hungara, id est exercitus robore, in lucro posuit, ex illa internecina strage vitam extulisse.

Ardente dein factionibus Hungaria, Zapolii partes adeo pertinaciter amplexus est, ut neque pollicitationibus, neque minis, neque lacrymis suæ consortis avocari potuerit. Commemorat Réwajus de Monarchia, & sacra corona Regni Hungariæ Cent. VI. ejusque responsum: *aliorum bonorum jacturam ferre æquo animo possum; fortunæ enim munera sunt potius, quam bona propria mea; fidei jacturam, quæ tota a me est, etiamsi, quæ sunt homini in vita postrema, sint subeunda, ferre haud possum. Simul atque enim in homine desideratur fides, constantia, officii laus, quibus vinculis hominum societas copulatur, non is homo, sed hominis umbra est habendus. Quamdiu audivero Joannem Regem vivere, meo suffragio creatum Regem, ei servare fidem integram animus est, ut si amissis patriis fortunis, per adeo honestam causam, sit victus diurno opere quærendus, DEI immortalis beneficio, in satis luculenta re positus, non sim recusaturus Joannis Regis equum curaturus.* Et reapse, quoad vixit, fidem semel datam nunquam mutavit, tametsi siniſtris casibus identidem jactaretur.

A Ferdinando Rege in comitiis Budensibus ANNO MDXXVII. celebratis, veluti perduellis proscriptus, suam, Zápolyiique fatiscentem fortunam multa industria erigere contendit. Verum Zápolyio in Poloniam secedente, ipse in sua arce Verőcze dicta tantisper quietus delituit, Ferdinandeis in Croatia perinde, atque Hungaria longe superioribus.

Anno rursum MDXXIX. posteaquam Solymanus Orientis vires in Hungariam infudit, Joannis partes propugnaturus adversus Ferdinandum, *Bánffius* arma corripuit, ac cum cæteris Ducibus Zápolyianis Montem Græcensem, sive Zagrabiam obsidione cinxit. Haud tamen urbs subigi potuit, quod Hispanus præsidiarius acerrime tueretur valla, & auxilia e Germania ad obsidionem solvendam magno numero appropinquarent.

Interim Solymanus castra metatus ad Mohácsium, militem suum longo itinere fatigatum quiete refecit. Huc *Bánffius*, uti imperatum fuit, nobilem captivum Prényium cum diademate, cæterisque ornamentis Regiis dimisit. Post irritam opugnationem urbis Viennæ, Budam reversus Solymanus, coronam, sceptrum in præsentia Procerum restituit, Joannemque Regem confirmat.

Paca-

Pacata utcunque Hungaria, Rex Joannes comitia edicit Bu- A.C.
dam ANNO MDXXX. Opinione pauciores e prima Nobilitate confluxere. In his *Joannem Bánffium* Palatinum jubet, æmulatione, ut videtur, Ferdinandi, in cujus aula Stephanus Báthorius vetere ejus ſummi Magiſtratus dignitate conſpicuus, in pretio, & honore habebatur.

Verum non diu floruit *Bánffius* in aula Joannis. Nam factis induciis inter Ferdinandum, & Joannem Reges, in arce ſua Soproncza e vita migravit ANNO MDXXXIII. *magno dolore Zápolyii*, ut ſcribit Iſtvánffius L. XII. *quum eum præ cæteris ob fidem, integritatemque charum in primis haberet.*

Decedenti Bánffio quemnam ſucceſſorem daret, dubius hærebat Zápolyius. Adnitentibus Laſzko, & Verbőczio Ludovicus Grittus ampliore cum poteſtate, & nomine, videlicet *Gubernatoris Hungariæ* ſurrogatus eſt. Quæ res adeo Procerum animos a Joanne abalienavit, ut nonnulli ad Ferdinandum illico deſciverint. Grittus ſuperbe, & crudeliter uſus dignitate, anno inſequente cum duobus filiis Antonio, & Andrea, cum res novas moliretur, per Valachos ſupplicio affectus eſt. Hæc de duobus Palatinis Regis Zapolyii, & Gubernatore Gritto dicere habui. Nunc reliquos proſequamur.

ALEXIUS TURZO
DE BETLEM-FALVA,
Locumtenens Regius.

Sub Ferdinando I. Anno 1535.

ALexius Turzo vir integerrimæ fidei, ac priſci moris, trium Regum favores virtutum ſuffragio adeptus, munus Locumtenentis Regii ſub Ferdinando primus geſſit. Præter clariſſimos natales, ac ſanguinis prærogativam, plurima numerabat, quæ gradum ſtravere ſummos ad honores. Jam in aula Uladislai gratioſus vivebat, ac amorem Regis peritia patriarum legum, linguarumque, quotidie provocabat. Ludovicus II. quaſi hæreditatem *Alexium* colendi, a Patre accepiſſet, eundem ærario Regio, arce Galgoczienſi donata ANNO MDXXIV. præfecit. Hac præfectura fide integra functo, amplius quid a Ludovico datum. Hatvaninum Rex conceſſerat ſeditionis extinguendæ cauſa, pretioſum Regni depoſitum, Mariam Reginam milleſimo quingenteſimo quinto natam, Conjugem ſuam *Turzonis* curæ commiſit, cui deinceps, quamdiu apud Hungariam agebat, perpetuo a conſiliis erat.

A. C. Imminebat interim Mohácsiensis clades. *Alexius*, quo hostem reprimeret, ducentos equites de suo conscriptos in Regia castra expedivit. Ipse Ludovici imperio apud Reginam remansit, quæ Budæ mœnibus inclusa inani spe victoriæ alebatur. Sed accurrentibus de clade certis nunciis, haud diutius expectandum ratus, ne hostis fugam præcideret, rebus Reginæ in naves conjectis, atque adverso Danubio vehi jussis, Mariam cum Antonio Burgio summi Pontificis Legato, Thoma Szalaházio Antistite Wesprim. & Joanne Bornemissza, terrestri itinere Posonium comitatus est. Isthic consilia de novo Rege tractaturi, Báthorii Pro-Regis sententiam amplexus, stetit a partibus Ferdinandi, ut Hungariam in Ludovico perditam ad pristinam dignitatem revocaret.

Anno sequenti, hoc est MDXXVII. novum Regem Proceres accepere Ovárini. Illuc Regina officii, ac necessitudinis causa cum *Turzone* concessit, & Fratrem Ferdinandum in funebri apparatu invisit. Rex magnopere delectatus Alexii opera, atque studio adversus Ludovici viduam, simul quod Petrum Perényium, Coronæ custodem, suas in partes flexerit, eundem Budæ in syllabum Judicum Curiæ refert. Hoc modo tres Reges ornarunt *Turzonem* prono nimirum per omnes dignitates aditu, ubi sua quemque eximia virtus ductarit. Cæterum vixit in amore Regis, ac civium, quibus dexteritate agendi peperit pacem. Aderat Viennæ Austriæ ANNO MDXXXIII. sub mense Martii, Mehemetes Chausius, Legatus Solymani fœderis capita Ferdinando oblaturus, quæ summorum Procerum Bohemiæ, atque Hungariæ, *Alexiique* maturo consilio discussa fuere. Mortuo demum Stephano Báthorio Locumtenentis Regii dignitate a Ferdinando cumulatus est.

Interea Petrus Perényius, cujus non uno loco meminimus, triplicis transfugii reus, nunc Joanni, nunc Ferdinando adhærens, neutri fidelis, semper novum & Regem, & Regnum quærens, Strigonii in arce, jussu Marchionis Brandeburgici captus, Viennam, indeque Neapolim, carceri mancipandus, abripitur. Ussit infelix casus amicissimi hominis *Turzonem:* utque Ferdinandum leniret, nullis laboribus pepercit; dumque Viennam ultro, citroque commeat nullo facto operæ pretio, gravi contracto mœrore, & morbo: Perényio Patronus, Hungariæ Pater Patriæ eripitur. Adeo nonnunquam Principum favoribus innutriti, parva nubecula adversi animi ostensa facile prosternuntur: quasi istis pro corde sit favor, quo subtracto, vivere non sustineant. Erat *Alexius* ultima voluntate in Cœnobia, & sacras ædes munificus, quibus amplas inscripsit facultates: Filias præterea, Nepotesque suos, cum sine masculo hærede decederet, dotavit. Istvánssius etsi virtutes integerrimi viri historiæ suæ inseruerit, gestos tamen Magistratus præteriit. At extat elogium a lectissima Conjuge positum in Leutschovienſi majori templo, ubi tumulo Majorum illatus, quo munia cum laude obita incisis versibus referuntur.

SPE-

SPECTABILI, AC MAGNIFICO DOMINO DOMINO CO- A. C.
MITI ALEXIO TURZONI A BETLEM-FALVA, INCLYTI HUNGARIÆ REGNI JUDICI CURIÆ, SERENISSIMIQUE HUNGARIÆ, BOHEMIÆQUE REGIS FERDINANDI LOCUMTENENTI, ET CLARISSIMÆ EJUS GENTIS, MARITO DILECTISSIMO, AFFINIBUS MEIS CHARISSIMIS, GENEROSA, AC MAGNIFICA DOMINA, DOMINA MAGDALENA ZEKEL AB ORMOSD PIA, MOESTISSIMAQUE CONJUNX F. F. OBIIT COMES ALEXIUS TURZO ANNO SALUTIS HUMANÆ MD. XLIII. ÆTATIS SUÆ L. III. IPSO DIE CONVERSIONIS B. PAULI APOSTOLI.

In hoc tamen elogio quacunque demum de causa prætermissa est præfectura *Judicis Cumanorum*, Palatinis a priscis Regibus attributa, qua insignitum fuisse Alexium Turzonem ANNO MDXL. MS. fidem perhibent. Huic & illud addendum putavimus, in catalogum Palatinorum apud P. Martinum Szentiványium Dec. III. P. I. Cat. XCV. mendum irrepsisse, ubi *Alexius Turzo* Locumtenens Palatinalis, sive Pro-Palatinus, dicitur, cum fuerit Regius Locumtenens. Jam ut parte aliqua Jongelinum sequamur, Locumtenentibus Regiis intermiscebimus Pro-Palatinos, quos nimirum ipse Jongelinus suo catalogo inseruit.

FRANCISCUS DE REWA,

Pro-Palatinus.

Sub Ferdinando I. Anno 1543.

Franciscus Réwajus Báthorio Palatino a secretis: cruento ad Mohácsinum prælio superstes, Posonienſem in urbem, tanquam asylum laceratæ Hungariæ, cum meliori Procerum parte confugiens, Ferdinando Archi-Duce, Rege Hungariæ dicto, singularem adhibuit operam, quo lex a Palatino lata adversus dissidentes, promulgaretur. Secutus deinde perpetuo Ferdinandeas partes, Joannis Zápolyii fortunam haud mediocriter afflictavit. Joannes Niger, adscito Ján-Czárii nomine, viliſſimo genere prognatus, e sanguine Principum Serviæ oriundum se mentiebatur, plebemque ad arma concivit, X. millibus collectis, utrique Regi metuendus, impune cædem, flammamque in superiori Hungaria miscuit. Ferdinandus, non tam quod ipse magnopere ea militia egeret, quam ut Joannem copiis auxiliaribus exueret, *Réwajum* Legatum dimittit non sine vitæ discrimine, nimirum cui peracuta sudes parata fuerat, nisi Regiis muneribus hominis vaniſſimi avaritiam opportune placaviſſet.

A.C. Quem ſubinde nativa dicendi vi, qua plurimum valuit, ſibi, Ferdinandoque devinctum eo impulit, toto cum exercitu ut non invitus ad Ferdinandum ſe transferret. Joannes ulturus Ján-Czárii, ut interpretabatur transfugium, Duce Petro Perényio propter Szegedinum agmen aggreditur. Dimicatum conatu primum acri, ſed non pari utrinque conſtantia, ac fortitudine. Perényiani, multis ſuorum e numero militiæ claris in campo cæſis, male mulctati, victoriam Ján-Czário reliquere. Ita *Réwajus*, ne ſtricto quidem ferro eam cladem intulit hoſti, ut x. ſuorum millia eo die deſiderarit. Verum a Valentino Tőrőkio Zápolyiano Duce, dum inconſulte ferox, impetu magis, quam conſilio arma circumfert, ſubito oppreſſus, ſpes ſuas, Ferdinandique evertit. Legatione ex ſententia peracta redux Réwajus ad Regem, Vicarius in Judiciis Regius, quem *Perſonalem* dicimus, renunciatur.

Pactis induciis ANNO MDXXXIII. inter utrumque Regem, Strigonium convenere viri toto Regno celeberrimi de rapinis cædibus abolendis acturi. Primos inter Ferdinandi eminuit *Réwajus*, cujus e conſilio Archi-Epiſcopo Strigon. Paulo Várdajo, & Alexio Turzoni fortunæ reſtitutæ: Ladislaus vero Moræus homo multæ rapinæ reus exilio damnatus. Sed iſthoc privatum; publicum illud, cunctæque Hungariæ non minus ſalubre, atque genti Réwajanæ glorioſum, niſi is, qui minime debebat, corrupiſſet. Vilhelmum Rogendorffium dico multarum palmarum Ducem, & fama per ora populi etiamnum victurum, ſi Budam vitaſſet.

Hic bellico apparatu inſtructus, ſecundo oppugnaturus Budam ANNO MDXLI. ſub jure Iſabellæ Reginæ habitam, tardior, ac res poſtulabat, propter mœnia conſedit. Inauſpicatæ expeditionis Dux clade accepta repulſus, a conſiliis juxta, ac fortuna deſtitutus, non omnem potiundæ urbis ſpem dimiſit. Etenim Budenſes partim diuturna fame preſſi, partim ne urbs barbaro traderetur, conſtituunt Ferdinando ſe dedere. Forte aderat in Regiis caſtris *Réwajus*; hunc clam beneficio noctis Joannes Athadi Judex Budenſis, Petrus Palczián Prætor Urbanus, urbis dedendæ authores conveniunt. Pactis conventis ſtatuunt: *Réwajus* cum milite Hungaro adeſſet intempeſta nocte, ſe operam daturos, ut portæ aditu recluſo intra urbis mœnia reciperetur. Petrus de Réwa *de Monarchia, & ſacra Corona Regni Hungariæ Cent. VI.* gloriatur, Avum ſuum Franciſcum occultis nunciis hunc civium favorem Ferdinando Regi conciliaſſe; additque: illum arcem ſuam Sklabiniam conjuratis addixiſſe, ſi res felicem exitum ſortiretur.

Réwajus ne quid inconſulto Duce ageret, rem totam ad eum refert. Pollicetur ſe opera Hungarorum uſurum in urbe capienda. Verum contra, ac pollicitus erat, fecit. Quippe delectas IV. Germanorum cohortes (Condeo filio, cæterisque equitum Præfectis, legionumque Tribunis in ſtatione locatis) Hungaris excluſis, ſive, ut ait Iſtvánffius L. XIV. implacabili odio, & ſuſpicione

in

in Hungaros ductus, sive, ut Petrus Réwajus, ne gloriam pulcher- A. C.
rimam facinoris suæ genti præreptam, Hungaris concederet; una portarum patefacta urbi immittit. Hactenus prospere. Cum forum tenuissent, tesseræ, idiomatis, locorum nescii, primum ab Urbano Batyánio, dein a Petrovicsio pugna lacessiti, aucto cæde metu, per eandem portam plurimis cadentibus (nam singulorum festinatio, omnium mora ad fugam erat) elabi conantur: pauci demum, qui rei male gestæ nuncium ferrent, in castra reversi. Hoc modo Buda e manibus Ferdinandi erepta, non nisi multo sanguine sub magno Leopoldo emetur.

Réwajus reversus non multo post ad arma, non jam occultis 1543
machinationibus, sed vi aperta Turoczienſem arcem ab hoste diu infestam, ære suo collecto milite expugnat: quam subinde, a Paulo Várdajo Archi-Episcopo Strigonienſi redemptam, Ferdinando restituit. Hæc & alia viri fortissimi facinora Regem moverunt, ut eum supremi, perpetui Comitis titulo provinciæ Turoczienſis insigniret, ac munere *Locumtenentis Palatinalis* cohonestaret.

Dedit vertente anno Rex Ferdinandus ad *Rewajum* gravissimis 1544
verbis exaratam epistolam, qua hortatur, ut hæresi jam altas radices agenti pro viribus obsistat. Principium est hujus tenoris: *Ferdinandus DEI gratia Rex Hungariæ, &c. Magnifice fidelis nobis dilecte. Quemadmodum magnæ nobis curæ, & providentiæ esse debeat fides, observatio Religionis, & cultus DEI Opt. Max. Sanctæque Matris Ecclesiæ nostræ a Divis Patribus veluti per manus nobis tradita instituta, &c.* Epilogus exit in hæc verba: *Quamobrem volumus, & fidelitati tuæ firmissime sub indignationis Nostræ pœna rursus committimus, quatenus si quos tales in isto Regno nostro Hungariæ esse cognoveris, qui hæreses, falsamque doctrinam a vera DEI, Ecclesiæque permanente doctrina, veterique institutione alienam aut sectari, aut docere auderent, eos sine cujuspiam personæ, quæcunque hæc, & quocunque in Magistratu, & dignitate sit posita, delectu absque omni, & favore perquirere, & omnibus opportunis modis castigare debeas, & tenearis. Nam si secus feceris, præterquam quod DEUM Opt. Max. graviter offendes, Nobisque - - - obsequium ingratissimum præstabis. Secus igitur nequaquam sis facturus. Datum Pragæ I. Julii Anno Domini MDXLIV.*

Et facile conjicies virum integerrimum, ac avitæ Religionis studiosissimum, æquissimæ Regis voluntati feciſſe satis. Tandem rebus sago, & toga gestis clarissimus, supremum vixit ANNO MD. LIII. Cal. Novemb. ætatis suæ LXIV. relictis quaternis Hæredibus ex illustri Comitum familia Clara Drugeth de Homonna susceptis. Tumulum nactus in sacra æde S. Martini Comit. Turoczien. hoc tali Epitaphio marmori inciso.

D. O. M.

FRANCISCO DE RÉWA., COMITI COMITATUS TUROCZIENSIS, AC LOCUMTENENTI OFFICII PALATINALIS

A.C. REGNI HUNGARIÆ, VIRO PIETATE, ET INTEGRITATE, AC LEGUM SCIENTIA CLARISSIMO, QUI CLADE MOHACSIENSI, QUA LUDOVICUS HUNGARIÆ REX, PROH DOLOR! INTERIIT, PARTES FERDINANDI IMPERATORIS, ET REGIS SECUTUS, MULTA TAM IN RECUPERANDIS, NISI FATA OBSTITISSENT, BUDA, ET ALBA, QUAM ALIIS GRAVISSIMIS, NON SOLUM HUNGARIÆ, SED TOTIUS REIPUB. CHRISTIANÆ NEGOTIIS EIDEM REGI PRÆCLARA FACINORA PRÆSTITIT. MICHAEL, ET FRANCISCUS DE RÉWA FILII, ET VIRTUTIS, ET FORTUNARUM HÆREDES PATRI PIENTISSIMO.

P. C.

PAULUS DE WARDA

Archi-Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius.

Sub Ferdinando I. Anno 1543.

INumero Præsulum, quos princeps Hungariæ insula ornavit, primus Regii Locumtenentis dignitatem sustinuit *Paulus Wárdajus*, sive *Vardanus*, loco nobili in Kiss-Várda, oppido Szabolcsensis provinciæ natus; qui a Rege Joanne, secundum cædem Ladislai Szálkani, ex Episcopo Agriensi translatus ad sedem Metropolitanam, eundem Alba in urbe, Regio diademate cinxit. Nondum annus abierat, cum Ferdinandus valido instructus exercitu Strigonium contendit ad eripiendam æmulo coronam; ubi Præsulem, & cives sibi addictos reperit, & coronam Albæ accepit. *Cum appropinquasset*, ait Timon in Epitome sua Chronologica ad ANNUM MDXXVII. *Paulum Vardanum ex animo amicum, vereque benevolum, & fidum sibi reperit. Jam in clientela Ferdinandi Regis Præsul erat, qui veteri instituto, & privilegio Sedis Romanæ potestatem habet ungendi Reges Hungariæ. Corona sacra deerat, sine qua nullus Regum perfecte regnat, &c.* Sed ferrea illa sæcula quietem diuturnam minime concessere.

Quippe Solymanus Joannem propugnans, suæ potestati subjecit Strigonium, & Antistitem: utque castra cum CCC. equitibus, totidemque peditibus sequeretur, pro imperio barbarus exegit. Juverit audire Istvánffium L. x. *Exceptus est Vardanus magna totius exercitus gratulatione, & acclamatione, quod summum in Hungaria Christianæ Religionis Antistitem, uti dicebant, ad suas partes transisse lætis animis conspicerent, ipseque Solymanus eum comi, blandoque sermone in tentorio allocutus, solatusque, ne quid adversi suspi-*

care-

caretur, castra sequi jussit: in quibus locus ei datus fuit non procul ab A. C.
Ibrahimo Principe Purpuratorum, ac inter Janicsarorum contubernia; & præbita laute omnia, quæ ad victum pertinent: retentusque est in iisdem castris toto tempore, quo Vienna acerrimo, sed irrito conatu oppugnata fuit. Non isthic damnaveris fidem Præsulis, qui maluit tempori cedere, quam gregem sibi commissum aut turpi deserere fuga, aut in ultimum conjicere discrimen. Et nisi hoc consilium in arena arripuisset, existimabant plerique futurum fuisse; ut quæ ad Viennam frustra detonuit, tempestas Hungariam omnino hauriret. Redditus iterum Ferdinando, copias ad Budæ mœnia ANNO MDXXX. excubantes, opibus, annona juvit, ipsum vero Cæsarem consiliis, dum Mehemeti Chausio claves Strigoniensis arcis traderentur: denique novam expeditionem adversum Turcas molienti, quingentos equites armis, cæterisque rebus probe instructos submisit.

Extincto Turzone Alexio Regis Vicario, frustra petentibus Hungaris Pro-Regem, ANNO MDXLIV. *Várdajus* Magistratum Locumtenentis iniit.

Eodem anno, capto per Solymanum Strigonio, Sede Metropolitana Posonium, Venerabili Canonicorum Collegio (quorum e gremio tot præstantissimos Præsules habet, habebitque in posterum Hungaria) Tyrnaviam translatis, publicæ cladi ingemuit: ne tamen regio illa perpetuis Turcarum excursionibus pateret; præsidium Ujvárienſe (Ersek-Ujvár) primus excitavit, & propugnaculis munivit.

Neque minus egit, ut sartam, tectamque conservaret in patria Religionem. Impetravit a Ferdinando epistolam, qua Francisco Réwajo Pro-Palatino in mandatis dat: ut ne hæresim pro libidine quodvis audendi, grassari sinat. Ipse Præsul in comitiis, quibus præsedit Tyrnaviæ ANNO MDXLV. II. Febr. Ferdinando Vormatiæ agente: Posonii semel, atque iterum ANNO MDXLVI. die XXV. Januarii, & MDXLVIII. die XVIII. Octob. summo adlaboravit studio; quo fortunas Ecclesiæ profanis eriperet, hæresim Regno proturbaret.

Et poscebant illa tempora industriam tanti Præsulis, qui se tor- 1548
renti opponere, peregrina dogmata magnis, indefessisque conatibus urgere, veteris sanctimoniæ decora revocare auderet. Hinc saluberrima decreta edita potissimum in conventu Posonienſi, ut: *Religio ad pristinam normam redigenda. Religio qua ratione possit ad pristinam normam redigi. Literis operam navantes, a Rege illis provideatur. Bona Ecclesiastica a Laicis auferantur, &c.* Sic postquam difficillimis Reip. temporibus Ecclesiam Strigon. quatuor admodum, & viginti annos moderatus fuisset; & munus Locumtenentis Regii sexennio gessisset, Posonii extinguitur ANNO MD. XLIX. IV. Idus Octobr. ætatis suæ LXVI. Corpus Tyrnaviam devectum, sine pompa funebri conditum esse Istvánffius testatur: *Paulus*, inquit, *Archi-Episcopus Strigonienſis e vivis excedit, ac*

Tyr-

A. C. *Tyrnaviam delatus, quo Collegium Sacerdotum post amissum Strigonium transtulerat, simplici, & tumultuario sepulchro conditur. Fuit utraque in fortuna variis modis exercitus, liberali ingenio, & semper jucundo. Ei Ferdinandus tanta honoris, & benevolentiæ signa deferre erat solitus; ut eidem secum mensæ adhibere, convivioque excipere non dedignaretur, eumque aliquando somno gravatum in suo cubili quiescere haud gravatim permitteret.* Nicolaus Oláhus in Chronico suæ ætatis ait Posonii vita functum, ibidemque terræ mandatum. Id quod mihi vero similius videtur; cum in Basilica D. Nicolai Tyrnaviæ, nullum vestigium Vardajanæ sepulturæ appareat.

FRANCISCUS UJLAKI,

Episcopus Agriensis, Locumtenens Regius.

Sub Ferdinando I. Anno 1549.

EQuestri apud Hungaros ortus Prosapia *Franciscus Ujlakius*, Sirmium patriam habuit. Capto a Turcis Belgrado ANNO MDXXI. die vicesima nona Augusti, natale solum vertere coactus, matrem, & viduam, & exulem Pesthum, singulari, qua decuit, pietate deduxit. Subinde Ludovici aulam ingressus, scientia pariter, & virtutum decore eam ornavit. Ludovico fatali pugna perdito, Posonienſem in urbem, multorum id temporis asylum, concessit; ubi matrem plurimis ærumnis, ac ætate confectam extulit. Ferdinando rerum petiente, *Ujlakii* virtus latere haud potuit. Præpositus Posonienſi Ecclesiæ, & adlectus Regiis Consiliariis, Ferdinando Colonia Agrippina reduci, Aquisgrani præsto fuit; atque inaugurationem Regis Romanorum ex Hungaris spectavit ANNO MDXXXI. Jaurinensis Episcopatus, ne funditus per rapacitatem quorumdam everteretur, Ferdinandus providit, dum eum Antistitem dedit sub ANNUM MDXXXVI. qui nusquam deesset muneri, ubi jura Ecclesiæ, Romana Religio auxilium deposcebant. Latifundia, Majorum pietate insulæ illi inscripta, homines profani præter jus, & fas invaserant; ac pro suo usurparant. Eos ut excuteret, egit plurimum in comitiis, sed frustra. Acrius quippe raptores invadunt aliena, ac pro suis pervicacius (si litem moveas) tuentur, quam vetus possessor defendat. Itaque quo inopiam levaret Præsul, ab Antistite Agriensi Szalaházio Sacerdotium, sive *beneficium Altaris S. Joannis* impetravit: ut laudatus P. Timon pag. 129. habet.

1549 Vardajo Locumtenente Regio mortuo, ne dignitas cum detrimento litigantium diutius vacaret, *Franciscus Ujlakius* successit, annoque proximo Vicaria Regis potestate lites diremit. Gaspar

Jon-

Jongelinus diverſam a nobis iſthic viam tenet. Scribit is in ſuo A.C.
catal. Palatinorum: Vardajo *Emericum quemdam Ujlakium Jaurinenſem, poſtea Agrienſem, & Præpoſitum Poſonienſem ſucceſſiſſe.* Quæ omnia *Franciſco Ujlakio* plane conveniunt. *Franciſcum* vero *Ujlakium* Emerico ſucceſſiſſe, de quo hæc in eodem catal. *fit Locumtenens Regius per Hungariam Anno MDLIII. cui eodem anno adimitur ea dignitas, & novus Palatinus creatur Thomas Nádasdi.* Sed toto cœlo aberrat. Qui enim potuit Ferdinandus ad *Franciſcum Ujlakium* ſuum per Hungariam Locumtenentem Idibus Januariis ANNI MDLII. literas dare, quibus parricidium Cardinalis Martinuſii authore Caſtaldo, a ſicariis, uno Hiſpano, altero Italo patratum, apud Hungaros excuſat, ſi biennio poſt Magiſtratum inivit? Quapropter *Franciſcum*, non Emericum Vardajo ſucceſſorem damus; cum Iſtvánffius ipſe Author locuples a nobis ſtet Lib. Hiſtoriarum XVII. *Quibus rumoribus ad Ferdinandum perlatis Franciſco Ujlakio, qui ejus loco, & nomine Panoniis jus dicebat, Epiſcopo nimirum Jaurinenſi, ac Senatus Principi, atque iis omnibus, qui conſiliorum nomine cenſebantur, idibus Januariis Praga literas, quibus factum excuſaret, dandas exiſtimabat.*

Unde res clara evadit, *Franciſcum* id temporis Vicarium Regis fuiſſe. Et profecto, quo ex fonte Jongelinus hauſerit Emericum Ujlakium Epiſcopum Jaurinenſem, Agrienſem, Locumtenentem Regium fuiſſe non video. Excuſſi perquam diligenter P. Martini Szentiványi catalogos Epiſcoporum, nuſpiam locorum Emericum reperi. Exiſtimo itaque ex uno Ujlakio duos effinxiſſe Jongelinum. Nec facit pro eo, quod & alii Authores, qui catalogum Palatinorum contexuerunt, Emericum, Franciſcum Ujlakios recitent. P. Szentiványius in Catalogo XCV. Palatinorum Emericum Ujlakium Locumtenentibus adnumerat, præterito Franciſco. At §. IX. in ſuis Annotationibus etiam Franciſcum Ujlakium monet ponendum Locumtenentem ad ANNUM MDLIII. a Jongelino ſeductus. Pariter Propugnaculum Reip. Chriſtianæ pag. 167. memorat duos Ujlakios Emericum, & Franciſcum Regios Locumtenentes. Ajo enim hos innocenti errore lapſos. Fit enim dum alii ex aliis exſcribimus, excuſſa jam omnia per primos putemus, in nævos pariter incidimus, & erroribus longam admodum hæreditatem firmamus, donec poſterior dies lucem adfert. Hæc de Jongelino ſemel dictum eſto, ne ſemper. Non tamen is ſum, quin, ſi certiora quis in lucem protulerit, amplectar continuo aliena, deſeram mea. P. Samuel Timon accuratus Chronologus pag. 154. ad ANNUM MDXLIX. rem controverſam clare diſſolvit. Poſt Paulum Vardajum inquit, *factus eſt paulo poſt Locumtenens Regius Franciſcus Ujlakius; Præſul Jaurinenſis, qui anno ſequenti Magiſtratum exercebat, ut planum facit Articulus LVII. Decretorum Regni.*

Ætate jam ingraveſcente, cum Proceres Pro-Regem poſtu- 1555
larent, ac non tam votis, quam rerum geſtarum magnitudine Ná-

A. C. dasdium elegiſſent, *Ujlakius* Agrienſi Epiſcopatui (quo anno proxime ſuperiori ornatus fuit) ultimos annos impendit, vir cum legum perita, quas cum Michaele Mérejo unum in volumen collegit, tum Religione illuſtris. Poſonii, ubi in Regni ſalutem excubuit, curarum tandem finem invenit, & vitæ Anno mdlv. die 1. Febr. In Baſilicia S. Martini tumulo illatus, a Wolffgango Pro-Nepote ſuo nobile monumentum accepit e rubro marmore, quod Antiſtitem ſacras veſtes indutum, tiaraque ornatum intuentibus objicit. Tum verſus diſtinctis locis in tabula marmorea, quos hic recitamus:

Hic posuit cineres Dominus Franciscus ab Ujlak,
Effigiem cujus nobile marmor habet.
Stemmatis hic radios almis virtutibus auxit,
Ingenii clarus dexteritate sui.
Vir gravis, et constans, observantissimus æqui,
Præditus et rerum cognitione fuit.
Magnus erat quondam Ludovici Regis in aula,
Major Fernandi tempore Regis erat.
Namque per Hungariam fuit hic a Rege secundus,
Paverat atque tuas Agria præsul oves.
Hic posuit monumenta nepos Wolffgangus ab Ujlak,
Ne caderet virtus digna perenne cani.
Mille, et quingentas, et quinque sequentia messes,
Lustra abiere decem, cum super astra feror.
Post actæ vitæ bis septem lustra quiesco,
Februus exoriens ultima fata tulit.

THOMAS III. NADASDI A.C.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXIII.

Sub Ferdinando I. Anno 1554.

EXpleto trium *Locumtenentium Regiorum*, & unius Pro-Palatini numero, *Nádasdius*, bello, & pace inclytus, dignitatem Pro-Regiam rursus in lucem provexit; qui unus (ut alios clarissimos ex hac Prosapia præteream) satis est illustrando tanto generi. Magnis Avis, Proavisque Comitum Pochenedioz clarus; Francisco Patre sui sæculi Heroe natus MCCCCXCVIII. sed injuria temporum in equestrem redactus ordinem, sola virtute fultus, per omnes pacis, militiæque gradus evectus, primam a Rege apud Hungaros obtinuit dignitatem. Mansuetioribus Musis primum Græcii Styrorum Metropoli, tum Bononiæ, Romæque Philosophicis excultus disciplinis; in patriam redux cum Cajetano Cardinale, Ludovico Regi a secretis datur; donec imminente Hungariæ Solymano Legati partes sustineret, auxilia a summo Pontifice petiturus.

Eadem de causa Spiram missus ad Ferdinandum Archi-Ducem, ac Germaniæ Principes. Libet adferre verba Istvánffii L. VIII. *Ferdinandum Principem Austriacum, qui in comitiis Spiræ Cæsaris fratris Legatum agebat, ac cæteros Germaniæ Principes, misso ad eos per equos dispositos Thoma Nádasdio, urgere, & acrius solicitare non destitit* (Ludovicus Rex) *orando, & obtestando, ne in auxiliis, quæ promiserant, expediendis tardarent, aut moram diuturniorem committerent, quandoquidem adversis rerum Hungaricarum successibus, tantundem fere periculi provinciis Austriacis, & Germaniæ finibus, quantum suis procul dubio pararetur.* Verum per celeritatem Turcarum, & inconsultum Hungarorum ardorem pugnandi, omnis opera *Nádasdii* periit. Extincto, ut proxime narravimus, Ludovico, iterum Viennæ Legati nomine adit Ferdinandum, ut ad Regnum occupandum veniret; a quo Castro Fogaras, atque arcis Budensis præfectura ANNO MDXXVIII. donatur, exiguo admodum tempore hoc munere functurus.

Solymanus enim tertium in Hungariam sæviens; expugnata Budensi urbe, arcem quoque socordia Præfectorum Christophori Pessererii, & Joannis Taubingerii capit. Hi inter dimicandum oblata ab hoste incolumitate, deditionem pacti, *Nádasdium* ignaviam, ac perfidiam exprobrantem in vicinum conclave conjiciunt, atque hosti se, arcemque tradunt. Sed trucidati ad unum omnes contra datam fidem, pœnas dedere perfidiæ. Adeo verum est; desertores raro fortiter finire: neque a perfidis barbaris perfidiæ prœmium expectari oportere.

A.C. Quid *Nádasdio* factum? varius Scriptorum sensus. Jovius ait: a tyranno strenuitatis laudem tulisse, ac multis solicitatum, a Ferdinando ut desciscat. Gregorius Pethő: ab Ibrahimo Bassa Joanni Zápolyio dono datum. Istvánfius vero: male increpitum ab Ibrahimo, quod Hungarus adversus Hungarum Regem arma cepisset. Addit præterea Danubio mergendum fuisse a Jánicsaris, nisi arrepta, quæ pone aderat, navi, in adversam ripam a Joanne Rege insessam, eluctatus fuisset. Quam narrationem P. Timon inter fabellas reponit.

Sed incertum istud; illud non item: *Nádasdium* Joannis fortunam secutum: nimirum ut vitato discrimine capitis, Ferdinando se aliquando redderet. Joannes magnopere delectatus viro militari, Agriensi præfectura auctum cum x. millibus ad opprimendum Valentinum Tőrőkium in arce Szigethana commorantem ANNO MDXXX. ire jubet. Quem in potestatem redegisset, ni Budensi urbi Duce Rogendorffio impugnatæ opem ferre debuisset. Elusis itaque felici astu excubiis, in arcem eluctatus; paucis post diebus eruptione facta, forte Balthasari Bánffio Duci impigro, & veterano occurrit: a quo ad certamen provocatus, acerrime concurrit, fractaque hasta in adverso scuto utriusque; uterque se pro victore ferebat.

Sed commodum evenit, ut Ludovicus Grittus Gubernatoris munere a Zápolyio, obnitente multum *Nádasdio*, post triennium præter morem ornaretur: cujus insigni vafritie cum insidias sibi structas didicisset, exosus præterea Joannis factionem, fultam Turcarum viribus, abeundi obtenta venia, sub specie adsciscendæ in thori sociam Ladislai Kanisai filiæ Ursulæ; ad Ferdinandum (quem nunquam animo deseruerat,) contendit. Ab hoc Rege virtutis, ac fidei ergo Banus Croatiæ ANNO MDXXXVIII. dictus Jesenocium occupat. Verum hoc munere in comitiis Poson. abdicato, in Judicum Curiæ numerum lectus, Tyrnaviæ summa potestate cum C. Nicolao Salmensi conventum celebrat: jam tum præludens se Pro-Regis honorem aliquando sustentaturum, quem Posonii universæ Nobilitatis favore ANNO MDLIV. suscepit.

1554 Istvánffius L. XIX. rem omnem his verbis in suam Historiam retulit: *Interrogavit Michael Mérejus Regni Prætor, ecquem vellent, nominarent Palatinum, qui demum a Rege confirmaretur. Tres nominavere e Proceribus viros graves, industrios, pace, belloque præstantes, Franciscum Batyánium, Andream Báthorium, & Thomam Nádasdium. Sed duo illi, Batyánius quidem ingravescente senecta, ac deficientibus viribus, Báthorius vero continua, inclementique podagra, quæ omnes ejus artus, & membra distorserat, verissimis allatis causis, sese excusavere. Nec Nádasdio defuere subterfugia, fessum se laboribus, corpore debilem, & si quid hostile ingruat, equitandi invalidum, & quietem præoptare: ei Magistratui multos labores, maximas curas, incredibilem negotiorum molem domi, forisque annexam, quibus ipse ferendis impar sit. Victus tamen postea singulari prece*

Nobi-

Nobilitatis, ac universi populi, inter venerantes, gratantesque con- A.C.
tribules, & provinciarum Legatos, pulcherrimo ordine, visuque, & auditu, magnifico comitatu, ad Ferdinandum ex urbe in arcem Posonienſem perductus est; a quo benigne habitus, ac ampliſſimo eo in honore confirmatus, juri æqualiter dicundo, administrandoque ſacramentum dixit. Hæc Istvánffius.

Occupato Palatio Regem, & Patriam defendendam ſumpſit, 1556
non magis generoſe, quam feliciter. Campum aperuit Aly Eunuchus Purpuratus, qui arcem Szigethanam vehementer urgebat. Palatinus Eunuchum ut ab oppugnatione averteret, lecto ex Hungaris exercitu, Baboſcam infeſtat. Is relicto Szigetho laboranti Babocſæ opem laturus a Nicolao Zrinyio, & Joanne Lenkovicſio excipitur, quibus ſe *Nádasdius* cum copiis adjunxit, vexillo Regio haud cunctanter prælato; commiſſurus prælium, niſi hoſtis die jam in veſperum inclinante, pugnam detrectaſſet. Simul vero ut illuxit, tanta fortitudine militum concurſum eſt, ut Eunucho ter in pugnam pervicaciter redeunti victoriam extorſerint, non tamen incruentam: Jacobo Nádasdio Palatini fratre, diverſa matre nato, cum aliis clari nominis militibus occumbente. Pro-Rex, Istvánffio teſte, periti, ac induſtrii Ducis nomen conſecutus, exercitum reducendum ſtatuit. Verum reperto in itinere Principe Ferdinando, Regis Ferdinandi filio, militaris gloriæ avido, arma de integro reſumuntur. Expugnata arce Korothna, Caſtellisque compluribus, & dimiſſo victore exercitu; Palatinus Principem, Viennam abeuntem, Sopronium usque comitatus eſt.

Istvánſſius acerbiorem, ac par fuit, calamum in *Nádasdium* 1561
ſtrinxit L. xv. & xx. Scribit enim litem ei intentatam in comitiis Neoſolien. ob necem Stephano Istvánffio per ſummam injuriam illatam: minutos Cæſaris favores, propterea, quod propenſiori animo videretur eſſe in Principem Ferdinandum, contracta cum eo in Babocſenſi bello amicitia, atque in Maximilianum. Cupiebat enim Rex Ferdinandus, ut Maximilianus ſe ſuperſtite in Regem Hungariæ inauguraretur, ac propterea frequentes Proceres Viennam evocaverat. Pro-Rex *Nádasdius* repoſuit: penes publica Nobilitatis Hungaricæ ſuffragia liberæ electionis, & arbitrium eſſe, quemnam e tribus filiis eligere vellet. Pro-Regis reſponſo præter opinionem offenſus Ferdinandus, illico conventum ſolvit, neque dum in humanis ageret *Nádasdius*, quidquam de eo negotio ſtatuit. Petrus vero Révajus ſcribit, Hungaros liberam electionem Regis, Cæſarem ſucceſſionem urſiſſe. At hæc controverſia jam finem invenit.

Denique Istvánffius Cunctatorem natura eum appellat. Fuerit ſane Cunctator, dum acie decernendum erat; ſed minime id vitio dederis. Habet exemplum quo ſe tueatur: nempe Maximi Fabii Hannibalem cunctando vincentis. Hinc quinque, & decem prælis geſtis, urbes partim tuitus eſt, partim corona cinxit nunquam non victor. At ubi privata dimicandum erat virtute,

A. C. alacer omni vitæ periculo ſpreto procurrebat. Non ego hic prætermierim facinus priſcis æquandum, ſi nos, ut veterum admiratores ſumus, ita noſtrorum invidi, certe incurioſi non eſſemus. Ad Lippam ſegniorem intuitus militem, rapto a Signifero vexillo per ſemiruta provolans mænia, illud in hoſtili muro defixit attonito hoſte. Aſſecutus gloriam Julii Cæſaris ad fluvium Sabin in barbaros ſignum juxta, & metum inferentis. Febri ſubinde in arce Egervárienſi oppreſſus obiit ANNO MDLXII. die II. Junii natus annos LXIV. cum luctu, tum deſiderio omnium, relicto Hærede unico Franciſco novenni filio, qui propagato Nádasdiano ſanguine cum virtute bellica, in ſeris Nepotibus Leopoldo, Balthaſare, Franciſco, Joſepho hodiedum vivit. Elogium inſcripſit lectiſſima conjux Urſula.

ILLUSTRISS. D. THOMÆ NÁDASDIO, SUMMO INGENIO, SINGULARI VIRTUTE, COMPLURIUM LINGUARUM PERITISSIMO, PACE, BELLOQUE CLARISSIMO, IN ITALIA OPTIMARUM ARTIUM STUDIIS IMBUTO, INDEQUE CUM CARDINALE CAJETANO BUDAM REVERSO, REGI HUNGARIÆ LUDOVICO A SECRETIS, AC POST EJUS FATA VARIA VICISSITUDINE ACTO. PRIMO AUSPICIIS MELIORIBUS BUDENSI PRÆFECTO, MOX URBE BUDA MILITUM INCONSTANTIA TURCIS DEDITA, SOLYMANI POTENTIA IN JOANNIS REGIS ARBITRIUM REDACTO, ITERUM PATRIÆ RESTITUTO: SACRATISSIMI, ET POTENTISSIMI ROM. HUN. BOH. SCLAV. DALM. CROAT. REGIS AC IMPER. FERDINANDI I. CONSILIAR. PRIMUM TAVERN. REG. MAGIST. MOX DALM. SCLAV. ET CROAT. BANO. DEINDE JUDICI CURIÆ, STATIM SUPREMO GENERALI CAPITANEO, POSTREMO PALATINO REGNI, AC PRO-REGI OPTIMO, FIDELISSIMO, CONSILIO, ARMISQUE TURCARUM PROFLIGATORI, PATRIÆ ILLUSTRATORI CONJUX AMANTISSIMA.

U. C. M. P. P.

Secundum fata Nádasdii, Pro-Regem Hungaria non vidit ſex, & quadraginta annos, tribus ſub Regibus Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho II. Mathia vero II. inaugurato, Palatini Magiſtratus reſtituitur MDCVIII. in Stephano Illyésházio. Itaque Vicaria poteſtate Regis, ſeu Locumtenentes Regii, cum tribus Pro-Palatinis Michaele Mérei, Michaele Czobor, & Nicolao Iſtvánffio, ſucceſſere Nádasdio, quorum res geſtas paucis narrabimus.

NI-

NICOLAUS OLAHUS A. C.

Archi-Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius.

Sub Ferdin. I. Maximiliano II. Anno 1562.

E Principum Valachiæ sanguine oriundus, Cibinii in Transylvania primam lucem aspexit *Nicolaus* Anno MCCCCXCIII. Mense Janu. Juventutem cum Latinis, tum Græcis literis, variisque scientiis privato potius studio, quam opera Magistrorum excoluit; ut ipse testatur in epistola ad Emericum Kálnajum, sibi studiorum causa per quam familiarem:

Si quid inest nobis, quod multum exile fatemur,
Hoc furtim taciti me docuere libri.
Nulla igitur causa est, cur Jano conferar abs te
Pannonio; est cujus multus in ore lepor.

E palæstra literaria egressus Anno MDX. aulam Uladislai Regis Hungariæ petiit. Sexennio fere evoluto, ac Uladislao demortuo, ad Georgium Szakmárium Antistitem Quinque-Ecclesiensem se contulit, cui a secretis biennio erat. Subinde permutato vitæ genere, DEO, & aris proprius, in sacrum Canonicorum Quinque-Ecclesiensium Anno MDXVIII. dein MDXXII. Strigon. Collegium adscitus, mira virtute, & in agendis rebus prudentia, dexteritateque ita excelluit, ut Regis Ludovici II. & Mariæ Reginæ consiliis adhibitus, gratiis omnium unus maxime floreret. Secundum Mochácsianam cladem, Albæ Regiæ Custos renunciatus, Ferdinandi Regis partes secutus est. Mariæ Ludovici Viduæ Flandriam gubernandam suscipienti, comes itineris, & minister additus, qui Reginæ consilio in rebus gravissimis adesset hac de re ipse Oláhus in suo Chronico: *Anno MDXXXI. Serenissima Regina Maria, voluntate Caroli V. Imperatoris, fratris sui, ex Lincio fuit profecta in mense Martio, ad gubernationem Flandriæ suscipiendam: cum qua etiam Nicolaus Oláhus simul profectus fuit.* Octennio, quo apud Belgas versabatur, eruditorum virorum amicitiam iniit. Reducem e Flandria Ferdinan. I. Simoni Erdődio Zagrabiensium Præsuli successorem dedit Anno MDXLIII. & Cancellarii R. H. dignitate auxit. De isthac infula sic cecinit noster Istvánffius.

Sed jam quindenos orbes sol aureus alto
Volvebat cœlo, & toties sua signa remensus
Attulerat longos ægris mortalibus annos, &c.
Continuo Divum templis, sacrisque regendis

A.C. Te vetus & turrita ſuum Zagrabia cepit
Pontificem, ac placidam cinxit prima infula frontem, &c.

Utrumque munus ſumma religione, fideque curavit Præſul optimus. Interea urbs Agria deturbato iniquo poſſeſſore, Ferdinando Regi reſtituitur. Ea ne penitus cum ampliſſima Diœceſi, ab hæreſi ſubjugaretur; Oláhum Epiſcopum ANNO MDXLVIII. die XXVIII. Novem. dedit, cujus ſudore, ac vigiliis Religio tantiſper recreata, priſtinum decus recepit. Sed Turcarum rabies ultimam perniciem Agriæ intentavit, ſacrisque rebus ad ANNUM MDLII. Defendere illam adverſus barbarorum copias Stephanus Dobo, Steph. Mecskejus, Gregorius Literatus, ſive Déakus, tanta & conſtantia, & fortitudine, ut fruſtra injectis in arcem XII. mill. juſtæ magnitudinis globorum, exercitus centum viginti quinque mill. re infecta diſceſſerit; multum gratulante Præſule, qui Divinum Numen id temporis, ne ſedes illa Epiſcop. in Ottomani poteſtatem veniret, precabatur. Propugnatores a ſummis Europæ Principibus muneribus ornati: ab ipſo Oláho pocula auro gravia accepere. Heroa hæc virtus, etiam mulierum Agrienſium, eruditis exterarum nationum calamis multum celebrata eſt. Iſtvánffius L. XVIII. & Sambucus hanc Agriæ defenſionem non minus ingenioſam, quam fortem eleganter memoriæ prodiderunt; atque haud ſcio, an duo hi Scriptores, præter Agrienſem, & Szigethanam Zrinyii defenſionem, quidpiam elegantius Hiſtoriæ inſeruerint.

Hanc lætitiam ſervatæ Agriæ excepit novus favor Ferdinandi qui Præſulem virtute, meritis gravem, poſt Paulum Vardajum vita functum, in comitiis Sopron. ad Archi-Epiſcopen Strig. evexit; magno utique Eccleſiæ Hungaricæ commodo, quam more ſuo perpetuo, quoad vixit, defendit. Ita ſuum ipſius Chronicon: *Anno MDLIII. ſeptima die Maji, ſacra Majeſtas Romanorum, & Hungariæ Rex, Sopronii in publica Diæta, creavit, & publicavit Nicolaum Oláhum, Archi-Epiſcopum Strigonienſem. Quo anno vigeſima quinta Junii, ſereniſſimam etiam Dominam Catharinam filiam ſuam, Viduam Ducis Mantuæ, ſereniſſimo Regi Poloniæ, Sigismundo Auguſto, deſponſavit Viennæ, miniſterio ipſius Archi-Epiſcopi, in monaſterio Fratrum Beati Auguſtini.* Annos quindecim Metropolitanæ præfuit illis temporibus, quæ ſingularem Paſtoris induſtriam deſiderarunt. Et ille rem pro virili egit.

Cum Synodo nationali Tyrnaviæ præſideret; & ſaluberrima conſilia de Religione promovenda exponeret; ac quædam in fide controverſa, dilucide explanata, publica luce Viennæ donaret: Petrum Victoriam Provinciæ Auſtriæ S. J. Præſidem evocat; utque ſocios ad meſſem uberrimam quamprimum mittat, multa humanitate agit. Itaque Tyrnaviæ munificentia Ferdinandi Regis, & Archi-Epiſc. Strig. erecto proceſſu temporis Collegio, primus Societatem JESU in Hungariam induxit, futuram deinceps metam multarum calamitatum. Alterum Concilium rurſus Tyrnaviæ

coe-

coegit ANNO MDLXIV. quo Clerum disciplinæ redderet. Pri- A. C.
mus item destinatæ aris juventuti Seminarium excitavit, transmisso ad Præsules grandi exemplo, qui paria, aut majora audebunt. Istud quoque *Oláhi* pietatem commendat. Eo die, qui honoribus Sanctissimi Corporis Christi a majoribus nostris dicatus est; Eucharistiam solenni ritu Posonii in urbe, publica supplicatione ANNO MDLVII. circumtulit. Pompæ multum ornamenti addidit Ferdin. Rex cum Carolo filio: Thomas item Nádasdius Palatinus cum Procerum corona: umbellam gestantibus Joanne Ballássio, Christoph. Országho, Joanne Chronio, & Christophoro Nádasdio.

Post Thomæ Nádasdii mortem, cum Ferdinandus antiqua- 1562
tam vellet Palatini authoritatem, ANNO MDLXI. *Nicolaum Oláhum* Vicaria cum potestate præfecit Hungariæ. Jongelinus, & P. Szentiványius hujus dignitatis accessionem ad annum insequentem rejiciunt, quo Maximilianus corona Hungariæ redimitus est. Sed certior opinio Timonis, hoc est: nostra. Anno vertente Maximilianus II. ut in Regem inauguretur, Cæsar comitia Posonium edixit. Confluente magno numero Procerum, *Oláhus* Maximilianum, & Ferdinandum, in campo Posonium inter & Kopcsinium jacente, perpolita oratione salutavit. Eo in conventu major nobilitatis pars Palatinum prisco more eligendum contendit, sine quo inaugurationem neque peragi posse, neque legibus patriis convenientem esse existimavit. Pars adversa reposuit: sæpe retroactis annis inauguratos fuisse Reges Hungariæ sine Palatinorum præsentia; nec Magistratum hunc requiri magnopere; nisi dum Regia stirps deficeret.

Sopita hac altercatione VIII. die mensis Sept. Maximilianus 1563
insigni Procerum pompa in templum Divi Martini deducitur; cui Franciscus Batyánius vir prisci moris, venerandaque canitie senex, sacrum diadema prætulit, Archi-Episcopo ad aras faciente. Antequam corona capiti Regio imponeretur; Batyánius Palatini fungens munere ter patria lingua Nobilitatem, Proceres rogavit; vellent; juberentne Maximilianum Regem? cum se velle, jubereque semel, iterum, ac tertio acclamassent omnes: ab *Oláho* diademate cingitur. Regiis demum epulis Maximilianum cum fratribus Ferdinando, & Carolo, ac Michaele Khueno Salisburg. Præsule in curia sua Archi-Episcopus excepit. In iisdem comitiis lex lata est; ut Locumtenens Regius Eperjessi judicium exerceat, atque civium controversias disceptet. Vide *Dec. Ferd. MDLXIII. Art. XXIV. & XXV.*

Hac inauguratione transacta piissimus Præsul omnes nervos 1568
adhibuit ad sacra Romana restauranda, ac jus ex legibus patriæ administrandum: donec fatalis necessitas acerrimos conatus abrupisset. Tyrnaviæ ad D. Nicolai marmoreum monumentum est nactus, ubi primus Musarum domicilium statuit, cum hac tali epigraphe:

A.C. SEPULTURA REVERENDISSIMI, ET ILLUSTRISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI DOMINI NICOLAI OLAHI, ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS, LOCIQUE EJUSDEM PERPETUI, ET COMITATUS HONTENSIS COMITIS, PRIMATIS HUNGARIÆ, LEGATI NATI, SUMMI ET SECRETARII CANCELLARII, LOCUMTENENTIS, ET CONSILIARII PER HUNGARIAM, NEC NON COMPATRIS DIVORUM FERDINANDI, ET MAXIMILIANI IMPERATORUM, ET HUNGARIÆ REGUM. MORITUR ANNO DOMINI MDLXVIII. DIE XIV. JAN. VIXIT ANNOS LXXVII. DIES QUINQUE.

Conditur hoc moriens tumulo Nicolaus Oláhi,
Qui Præsul vivens Strigoniensis erat.

Ut literas nullo non tempore singulari amore complexus est *Oláhus*, ita viros eruditione præstantes summo loco perpetuo habuit. Nicolaus Istvánffius, Stephanus Radetius, Zacharias Mossoczius, & non pauci exteri Musarum cultores, primas tenuere apud Archi-Præsulem, quorum indole in res literarias propensa mirum quantum delectabatur. Digna profecto laus summis viris: ut illi præter cæteros in oculis ferantur, quos labor, doctrina, mores integri gratiosos faciunt. Hinc tot Epitaphia viro clarissimo Mathæo, Oláhi fratri, adornata a præstantissimis Poetarum, quæ Petrus Nannius Ferdinando Regi a Consiliis, uno volumine complexus est. Oláhus quoque doctis lucubrationibus suum nomen æternitati consecravit. Præter versus quam plurimos, Bruxellis apud Batavos *Hungariam* erudito labore confecit, quæ ANNO MDCCXXXV. Posonii typis edita. Hanc P. Martinus Szentiványi; P. Samuel Timon ad conciliandam suis operibus fidem, frequenter laudant. Opus alterum *Attila* inscripsit, eruditorum plausu jam ANNO MDXXXVIII. exceptum: de quo Petrus Nannius: *De tuo Attila, & Hungariæ descriptione quid sentiam, jam sæpius literis meis testatus sum. Cujus me judicii nunquam pœnitebit, nisi quod malignius videor, & nimis parce rei laudatissimæ laudes impertiisse. Olim carmine testabimur, quantus mihi videare.* Addidit etiam *Chronicon suæ ætatis*, Posonii pariter alteris typis excusum; mole quidem exiguum, at rerum ubertate plenum, scribentibus, de rebus illa ætate gestis, lucem adfert. Ita sapientissimus Præsul Scriptores illius temporis fovit, & posteros suis lucubrationibus alit. Hoc nempe est magna facere, & magna posteritati transmittere.

MI-

MICHAEL DE MERE A. C.
SIVE MEREI

Pro-Palatinus.

Sub Ferdinando I. & Maximiliano II. Anno 1563.

DUplici peccat nomine hoc in loco Jongelinus; uno, quod hunc Michaelem Locumtenentem Regium scribat: altero, quod expuncto *Méreio*, quendam *Moreum* surroget, seu ex turbido, corruptoque loco nomen hauserit, seu errore ex similitudine vocum orto deceptus. Utrumque deteximus Istvánffio clarissimo illorum temporum Scriptore facem præferente, qui L. XXIV. meminit: *Michaeli Méreio* vita simul, & Pro-Palatinali dignitate defuncto, Emericum Czoborium substitutum ANNO MDLXXII. Decretum quoque Ferdinandi I. ANNI MDLXIII. Art. LXV. id perspicuum reddit: *Michael Mérei Pro-Palatinus in officio confirmatur. Et cum dicta Sacra Cæsarea, Regia Majestas, Michaelem de Mére in Locumtenentem Palatinalem eligere, ejusque electionem partim jam antea, datis ad omnes Regni Comitatus literis suis; partim vero in præsenti ista generali Diata declarare dignata sit: Prælati, Barones, Nobiles, cæterique omnes Regni Status, & Ordines, electionem, & publicationem, simulque declarationem istam, antea per literas, & nunc in hoc conventu etiam a sua Majestate factam; administrationem præterea ejusmodi officii, pari consensu ratam, & acceptam habent, &c.*

Hic *Méreius* nobili, eaque perantiqua oriundus domo, æmulatus est Majorum virtutes, quos in utraque Republ. muneribus gestis frequentes censuit. Plurima *Michaelis* facinora avara vetustas occuluit, quæ ut scribentis elusit industriam, ita calamo pertinax imperavit silentium. Pauca admodum e laciniis adferimus, quæ viri famam e tenebris utcunque evolvent. Ingenio, cæterisque naturæ dotibus quam optime instructus, Patrias leges ut combiberet, Alexii Turzonis, M. Curiæ Regiæ, ac subinde Regii Locumtenentis aulam incoluit: cui propter amæniorem indolem cum a literis, tum a secretis fuit circa ANNUM MDXXXIV. Publicis Regni muneribus admotus a Ferdinando Rege *Locumtenens Personalis præsentiæ* (ut mos patrius) renunciatur ANNO MDXLIII. Sub hæc quotidiana industria, studioque indefesso cum Francisco Ujlakio Jaurinensi, Paulo Gregoriancio Zagrabiensi Præsulibus, sancita Regum Hung. in meliorem redegit ordinem, ac *Opus Quadripartitum* inscripsit. Ferdinandus cum tria expuncta vellet, quæ Compilatores sine consensu Ordinum minime possent; opus istud multo labore, vigiliis absolutum, lacem publicam haud vidit, quod Verbőcziano proxime accedit. Prætor Regni (ut nominat Istvánffius L. XIX. dictus in comitiis Poson. perutilem ope-

A. C. ram præſtitit, dum a Provinciarum Legatis candidatos Pro-Regii Magiſtratus exquirit, & in Thomam Nádasdium meritis gravem ſuffragia ſua confert.

1563 Cæterum antiquato, ut putarunt, Palatinatu, cum moderarentur Hungariam Locumtenentes Regii, nec *Méreius* plenum Magiſtratus honorem adipiſci poſſet; meruit, ut dimidium acciperet tituli; id eſt Pro-Palatinus Regni juberetur præ aliis; & legum peritia, rebusque geſtis apud popularium animos Pro-Rex eſſet. Et ſane expectationem de ſe conceptam abſolvit; quando a Maximiliano difficillimas lites decidere juſſus; tribunal Prætorium ſic occupavit; ut DEI, & Regis majeſtatem tueretur ſemper, ſubditos opprimeret nunquam. Dignus cui Themis coloſſum erigat, & viri memoriam ab interitu vindicet. Obiit MDLXXII. Succeſſit ei in Pro-Palatinatu Emericus Czobor de Czobor Szent-Mihály, de quo paulo infra.

PAULUS BORNEMISZA

Epiſcopus Tranſylv. Locumtenens Regius.

Sub Maximiliano II. Anno 1568.

OLáhus in Magiſtratu Locumtenentis Regii ſucceſſorem accepit *Paulum Bornemiſzam*, Quinque-Eccleſiis oriundum, in fidei Catholicæ ornamenta, ac ſalutem Hungariæ, Tranſylvaniæque natum Præſulem. Maturæ jam erant *Pauli* virtutes, ac cuilibet in Hungaria pares infulæ: quapropter Ferdinandus Regum piiſſimus, cum in comitiis Poſon. in id longe maxime incumberet, quo Hungariam veteri Religioni reſtitueret; viduis infulis dedit Præſules, & Veſprimienſi quidem *Bornemiſzam* ANNO MDL. qui confirmationem cum cæteris Epiſcopis ſine ſolita penſione (Annatas vocamus) anno proximo a ſummo Pontifice impetravit. Triennio poſt ab eodem Rege Epiſcopus Tranſylvaniæ dictus titulum ſimul *Patroni Gentis Saxonicæ* ANNO MDLIV. accepit. Verum cum omnia turbis, ſeditionibus ferverent, ac Procerum nonnulli Iſabellam Reginam e Poolnia in Daciam revocare meditarentur: *Paulum* Hæreticis juxta, ac factioſis obſiſtentem, e Tranſylvania in Hungariam, exilio mulctatum abſcedere cogunt ſub ANNUM MDLVI. Male quippe convenit vitiis cum virtute.

Expulſo Præſule, quaſi uno cuniculo ſacra ſubruta, extemplo conciderunt. Nimirum quod belli Dux in exercitu, hoc ſua in Eccleſia Antiſtes. Aufer illum copiis, quantam Superi! hoſtis in milite ſtragem edet. Abige iſtum a ſua Eccleſia; quis animarum damna cenſuerit? tanto amplius digniora lachrymis, quod arte nulla

nulla reparari valeant. Petrovicsius, seu Petrus Vichius, quem A.C.
Rex Zápolyius filii sui Tutorem constituit, sanis Divorum, fortunisque Ecclesiasticorum primus viscatas manus infert, pro jure, & æquo pugnantes, cruce frontibus insusta, notat, plurimos Sacerdotio initiatos cute e sacris verticibus detracta, facultatumque publicatione castigat. Jussu hujus templum Claudiopolitanum fœde vastatum, Divorum statuæ revulsæ, præcipitesque comminutæ: sacra vasa, cæteraque suppellex direpta. Erat Petrovichius primum Catholicus, dein a Martino Kalmáncsio ad Lutherum abductus, postremo cum magistro suo Calvinum, vel ut alii volunt Arium, professus, supplicium quod merebatur tot sceleribus, mitiore morte prævertit Claudiopoli circa ANNUM MDLVIII.

Interea *Bornemisza* cladi sacrorum ingemuit, & ne nihil agere videretur pro causa Religionis, Hungariæ cum hæresi pariter conflictanti operam accommodat. Episcopatus Nitriensis administrator nominatus ANNO MDLVII. a Ferdinando, pro virili adversus Heterodoxos eam Ecclesiam propugnavit.

Maximilianus denique, quo virum in utraque Repub. versa- 1569
tum pro meritis ornaret, Regium Locumtenentem dicit, eo ipso anno, quo Oláhus supremum vixit, nempe MDLXVIII. Mira popularium gratia, ac fide incorrupta hanc provinciam iniit, judiciaque statis temporibus celebravit. Verum fractus laboribus, ætateque in senium vergente (septimum enim supra octogesimum annum agebat) cum se imparem tanto muneri videret, in Curiam sella gestatoria delatus, publicis in comitiis eo Magistratu se abdicavit ANNO MDLXXII. qui continuo Verantio Metropolitæ Strigoniensi datus est. Errat igitur Jongelinus iterum cum suis adstipulatoribus, dum scribit Verantium ANNO MDLXX. id muneris suscepisse. Vixit *Bornemisza* plures in annos, & ultimum senectutis laborem pari contentione Ecclesiæ impendit.

ANTONIUS VERANTIUS

Archi-Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius.

Sub Maximiliano II. & Rudolpho II. Anno 1572.

NAtale solum *Verantii* Dalmatia est, Sibenici sub ANNUM MDIV. natus. Juventutem literis, linguarum peritia, arte militari probe exercitatam in aulam Joannis Zápolyii Regis attulit; tantumque nativa dicendi facultate valuit, omnem ut prope ætatem in legationibus obeundis egerit. A Zápolyio missus ad Principes Europæos, permultos suam in sententiam pertraxit. Prolapsis demum

A.C. mum rebus, ne novo turbine involveretur, relicto Joanne Rege (facile quippe eos deſerimus, quos a ſucceſſu rerum proſperarum deſertos videmus) Ferdinandum Regem adoravit; qui virum ob eximias dotes Quinque-Eccleſienſi mitra ornavit.

Hoc in ſacro munere nunquam ita oblitus eſt bellicæ gloriæ, ut non ſtringeret ferrum in hoſtem. Cum Franciſco Zájo claſſis Danubianæ Præfecto ſemel, atque iterum tuitus eſt Iſtrum adverſus barbaros animi perinde potens, ac manus. Perſpecta rebus in difficillimis veterana prudentia, Ferdinandum Regem permovit, ut eum ad inducias pangendas cum Ottomanis, Legati nomine dimitteret ANNO MDLII. Zájum legationis, & tædiorum ſocium una proficiſci voluit. Byzantium delati, cum intelligerent Solymanum apud urbem Amaſiam res Imperii curare, accelerato itinere eo ſtrenue contendunt. Præter opinionem durius accepti ſunt a barbaro. Nam Solymanus pace facta cum Perſis, quos octo annorum bello fatigaverat, multiplici victoria tumidus nihil pacati admiſit. Augerius tamen Busbeckius, qui Legatos conſecutus eſt, ſemeſtres inducias abſtulit, dum ad Ferdinandum ire, redireque poſſet. Evoluto quinquennio Conſtantinopoli, plurimas perpeſſus ærumnas in patriam rediit, maximo Agrienſium commodo; quibus ANNO MDLVII. favente Ferdinando Præſul eſt datus. Legatio altera Maximiliani nomine ad Selymum ſuſcepta MDLXVII. feliciorem exitum ſortita eſt.

Multa clade attriti Hungari Maximilianum majorem in modum orarunt, pacem cum hoſte iterum tentaret. Itaque e Comitiis Poſonienſibus *Verantius*, atque Chriſt. Teuffenbachius cum nobili comitatu Byzantium ad Selymum feciales abeunt. Audito eorum adventu, Turcarum exercitus ad Hungariam vaſtandam jam ante dimiſſus, revocatur: inducias VIII. annorum *Verantii* opera confectas Cæſar Poſonii publicat. Hæc legatio non modo ſalutem Hungariæ, ſed Præſuli etiam novos honores attulit, nempe Strigionienſem tiaram.

1572 Poſt quadriennium fere, quam adeptus eſt hanc grandem Inſulam, Bornemiſzæ vicaria Regis poteſtate ſucceſſit Poſonii comitiorum tempore, in quibus jam antea perutilem navavit operam legibus, ſeu articulis ſtatuendis. Uno petunt Ordines: Zachariæ Delphino Patritio Veneto Jaurinenſem Epiſcopatum acciperet, ac Hungaro de patria bene merito Rex tribueret. Altero, ne Rudolphi, Maximiliani filii, inauguratio proteletur. Utrumque ab æquiſſimo Rege impetravere. Delphinus enim Hungarorum querelis peroffenſus Epiſcopatu abdicato ANNO MDLXXVII. Romam conceſſit. Rudolpho vero, poſtquam eum ad Kőpcſinium eleganti dictione excepit, XXIV. Sept. diadema impoſuit. Illud præterea cum Regni Proceribus poſtulaſſe dicitur, ut Archi-Ducum unus Hungariam incolat, linguam addiſcat, mores gentis imbibat, quam aliquando recturus foret. At res ad usque Mathiam dilata eſt.

Iis-

Iisdem in Comitiis postulavere Nobiles, ut Eperjessum tri- A. C.
bunal Locumtenentis transferatur, ad quod disceptatores statis diebus, de fortunis majoribus causam dicerent: ob superioris Hungariæ incolas, qui difficultate itinerum deterriti, lites prosequi minime audebant. Hoc impetrato cum ineunte vere secundum verum, ac æquum jus exerceret *Verantius* Eperjessi, febre vexatus, non multo post extinguitur. Corpus Tyrnaviam devectum in Principe templo tumulum habet marmoreum, hoc tali inscripto Epitaphio.

ANTONIO VERANTIO, ARCHI-EPISCOPO STRIGONIENSI, PRIMATI, LEGATO, CONSILIARIO, CANCELLARIO, AC LOCUMTENENTI REGIO IN HUNGARIA: VIRO INTEGRITATE, AC MUNIFICENTIA INSIGNI: FACUNDIA, RERUMQUE EXPERIENTIA INSIGNI, CÆTERISQUE VIRTUTIBUS ORNATISSIMO: MULTIS VARIISQUE LEGATIONIBUS STATIM AB INEUNTE ÆTATE, IN PRIMIS QUIDEM NOMINE JOANNIS REGIS HUNGARIÆ, APUD OMNES FERE PRINCIPES CHRISTIANOS, TUM VERO ULTIMIS DUABUS NOMINE SACRATISSIMI IMPERATORIS FERDINANDI I. AC MAXIMILIANI II APUD SOLYMANUM, ET SELYMUM TURCARUM PRINCIPES SUMMA FIDE, AC SOLERTIA, ATQUE ADEO OMNIBUS REIPUBLICÆ CURIS HONORIFICENTISSIME PERFUNCTO, DE TOTA CHRISTIANITATE OPTIME MERITO GRATIA POSTREMA. NATUS SIBINICI, OBIIT EPERJESSINI ANNOS NATUS LXIX. DIES XVI. MDLXXIII. XII. CALEN. SEXTILES.

Istvánffius L. xxv. quatuor ævi annos addidit. Jongelinus unum dempsit. Virum hunc multum valuisse gratia apud Maximilianum testes sunt literæ, quas familiares mutuo dedere. Mors eo tristior accidit Hungariæ, quo majori cum Ecclesiæ Strigoniensis, & Religionis damno; cum successorem in Archi-Episcope annis plurimis habuerit nullum, ut infra dicemus.

EME-

A.C. EMERICUS CZOBOR

DE CZOBOR SZENT MIHÁLY,

Pro-Palatinus.

Sub Maximiliano II. & Rudolpho II. Anno 1572.

BRevem admodum ſui memoriam reliquit *Emericus*; documento futurus poſteris, ut & digna annalibus agant, & in domeſtica tabularia, ſeu *archiva*, referant, quidquid pro utraque Republica præclare geſtum, ne, dum Majores ſuos ſilentii arguunt, eodem crimine ipſi aliquando damnentur. Et tædet nonnunquam Scriptores ſola nominis appendice illuſtrium virorum hiſtoriam auſpicari, & claudere: quia digniſſimos cenſent, ut calamo æternum vivant, quorum conſiliis, & ferro patria incolumis ſtetit. Et quis ambigat *Czoborium* magna egiſſe? cum in eam eluctatus ſit dignitatem, ſola virtute comite, quæ non niſi ſummis in Hungaria viris patuit. Egerit ſane quam plurima, ſed tenebris involuta vix tenuem lucem patiuntur. Id conſtat, eum nobiliſſimis ortum natalibus, bonas horas ad uſque devexæ ſenectutis annos Juri patrio conſecraſſe.

Sic dum alii ferro armati hoſtem propulſant, ac fortunas tuentur, iis alta in pace ut frui liceret, *Emerici* excellens legum peritia advigilavit. Curiæ Regiæ Magiſter, & Michaele Méreio e vita decedente, Poſonii Pro-Palatinus renunciatus ANNO MDLXX. munus utrumque pari induſtriæ laude implevit. Perennem viri memoriam in Dec. Maximiliani ad ANNUM MDLXXVII. habemus Art. IX. cujus tenor: *Deinde quoniam Majeſtas ſua Cæſarea, Dominum Emericum Czobor, ad officium Locumtenentis Palatinalis in judiciis benigne promovendum, & eligendum ſtatuit; isque ſolitum juramentum coram Sereniſſimis Principibus, & Statibus, & Ordinibus Regni publice præſtiterit: iidem Status, & Ordines unanimi voto humiles agunt gratias, quod ad eorum petitionem, dignata ſit ad hoc officium nominare, & conſtituere idoneam perſonam.*

Litibus decidendis a Rege admotus, perpetuas reliquit Hiſtoricis, ut dum totum a tenebris vindicare, ac Poſterorum memoriæ prodere vellent, ſe ipſos impugnent, & cogantur ſolo Pro-Palatini titulo famam *Emerici* depingere. Obiit ANNO MDLXXXII. Succeſſit ei Nicolaus Iſtvánffius.

STE-

STEPHANUS RADETIUS A.C.

Episcopus Agriensis, Locumtenens Regius.

Sub Maximiliano II. & Rudolpho II. Anno 1573.

ORiundus Cibinio, Daciam clarissimorum virorum fera- 1573
cem, Patriam habuit *Stephanus*. A primis pueritiæ annis omni literatura, maxime Poetica, institutus, post Nicolaum Istvánffium Oláho in deliciis fuit. Varadiensi condecoratus infula ANNO MDLXVIII. qua sei Franciscus Forgácsius orator pariter, atque historicus percelebrs, de industria abdicarat, eodem anno in Antistitem Agriensium evectus, & Regio ærario Maximiliani beneficio præficitur consequente anno Cal. Maji. Gemino huic muneri summa cum laude præfuit. Maximilianum profecto præclaris de se, deque Republica meritis, facile permovit, ut exempto rebus humanis Verantio, Locumtenentem Regium nominaret.

Jongelinus isthic gravissime lapsus est. Scribit enim *Radetium* Verantio etiam in Archi-Episcope succesisse. Apud Istvánff. fortasse L. XXV. legerit: *Verantius quidem obsequi Nobilitati cupiens, nec senio, viribusque suis diffisus, quum sequenti vere illuc se contulisset, molesta suborta febre, septuagesimo tertio ætatis anno e vivis migravit, eique Cæsar Stephanum Radetium Episcopum Agriensem, ærariique Præfectum substituit, virum bonarum literarum peritia, pariter & legum scientia insignem, qui postea statis temporibus judicia Eperjessi exercuit.* E quibus conjecit *Radetium* in jure dicundo, atque Archi-Fpiscope succesisse, quod a veritate quam longissime abest: cum successio illa solum ad jus administrandum, sive vices Regias obeundas; haud vero ad infulam Metropol. attinuerit. Sacra tamen administravit, dum vixit, Nicolaus Telegdinus. Bona ad Fiscum redacta; qui ea deinceps Sede vacante usurpavit. Sed ad *Stephanum*.

Agriensium, apud quos tenue Religionis vestigium eo tempo- 1578
ris reperisses, quo sacra restauraret felicius, a Præsidibus Soc. JESU multis precibus poposcit, & impetravit Joannem Lelesium virum multa eloquentia, & insigni probitate præditum; quocum junctis viribus urbem illam meliorem in formam redegit, nec ante laborare destitit, quam hæresim multis partibus labefactarit. In Propugnaculo Reipub. Christianæ C. XVI. pag. 186. lego: Radetius omni virtutum genere cultissimus, uno caruit, quod exul, non domi rexit Ecclesiam Agriensem. Si ita? hæresis prævaluerit. Nam urbs Agria primum ANNO MDXCV. subacta est a Mahomete.

Juxta res sacras summa prudentia, Religione, de controver- 1582
siis Tyrnaviæ disceptavit. Isthoc haud omiserim. Cum Nobiles

A. C. in comitiis Poſon. palam quererentur, acceptam a Majoribus libertatem nondum reſtitutam, exteros publicis officiis nondum amotos, denique bello, ſe ab hoſte, pace vero ab ſociis vexari: proin ſubſidium collaturos nullum, neque in comitia in poſterum more patrio venturos, niſi facilem in poſtulatis Regem haberent.

1584 *Radetius*, qua erat prudentia, adeo Nobilium flexit animos, communi ut conſilio magnam pecuniæ vim in belli nervum polliciti ſint, turbas etiam opinione celerius ſuffocarint. Rudolphus tamen liberis Hungarorum querelis offenſus, continuo in Bohemiam conceſſit, neque Viennæ, neque in Hungaria conſpici voluit. *Radetius* biennio poſt magna ſui commendatione exantlatis in utraque Repub. laboribus ſupremum vixit ANNO MDLXXXVI. pridie nonarum Feb.

NICOLAUS ISTVANFFI

Pro-Palatinus.

Sub Rudolpho II. Anno 1582.

Nicolaus Iſtvánffius, alter Hungariæ Livius, muneribus geſtis, ſcriptisque quatuor, & triginta rerum Hungaricarum libris, æternam ſui memoriam apud poſteros reliquit. Nobili apud Hungariam ortus genere Patavii, Bononiæ adoleſcentiam optimarum artium ſtudiis excoluit, Latini juxta, ac Græci ſermonis peritiſſimus. Ad ſuos reverſus, Nicolai Oláhi Archi-Epiſc. Strigon. aulam eruditorum virorum id temporis altricem, petiit ANNO MDLXII. ab epiſtolis futurus. Iſthic in amoribus habitus doctiſſimus Juvenis a ſapientiſſimo Præſule literarum fautore, ſeu metrum, ſeu proſam ſcriberet; ad feliciorem veterum authorum dialectum proximus acceſſit. Collecta hunc in modum non vulgaris eruditionis fama, amicorum precibus inductus, animum appulit ad ſcribendam Regni hiſtoriam, quam felicibus cæptam auſpiciis ab Uladislao, eo nomine II. ad Rudolphum uſque Cæſarem, & Hungariæ Regem, continenti ſerie, culta, ſuaviterque fluente oratione deduxit; & diuturna expectatione, pulcherrimo ſuo opere populares evolvit.

Ferro ſubinde arrepto, ſub fortiſſimo Heroe Nicolao Zrinyio poſitis militiæ rudimentis, in propugnata arce Szigethana ANNO MDLXVI. cæſo, clariſſimos Duces Nicolaum Pálffium, Franciſcum Nádasdium, Georgium Zrinyium, aliosque armorum Imperatores ſecutus; viciſſitudines bellorum coram edidicit: nec minus fortiter rem belli geſſit, ac domi eleganter chartis commiſit. Longum foret expeditiones bellicas, quibus & miles, & Dux interfuerat, narrare. Ipſe ad Albam, Petriniam, Caniſam &c. ſe fuiſſe, & patriæ ſtrenuam navaſſe operam ſuis in monumentis teſtatur:

tur: quoad Hiſtoriæ honos habebitur, ſemper in oculis, in animis A.C.
legentium victurus.

Non tamen ita coluit Martem *Iſtvánffius*, ut Muſas cum Apolline inter armorum ſtrepitum averſaretur. Sub papilione otium nactus, Ducum nomina, copiarum numerum, ſecunda, adverſaque prælia in compendium retulit; atque id ſolum ſibi fecit reliquum, res ſparſim jacentes ut una continenti narratione complecteretur. Hæc inter a Maximiliano, atque Rudolpho Cæſaribus in ſecretiorem adlectus Senatum, res patrias in aula tractavit, tantopereque Regum favores erudito calamo, jurium notitia ſibi conciliavit, ut per omnes dignitatum gradus evectus, Pro-Palatini munus Poſonii MDLXXXII. adipiſceretur. Libet Iſtvánffium ipſum audire L. XXV. *In iis comitiis Magiſtratum Pro-Palatinalem, quem antea Emericus Czoborius geſſerat, & paulo ante e vivis exceſſerat, Nicolao Iſtvánffio, aſſentientibus omnibus regni Proceribus, ac Nobilitatis nunciis, contulit; qui cauſis inter Regem, & ſubditos dijudicandis præeſſet, isque ſedente pro tribunali Cæſare, & aſſiſtentibus cæteris omnibus, publice ſacramentum præſtitit.*

Suſcepit ſubinde graviſſimas legationes in conſortio clariſſi- 1586
morum virorum tum ad Polonam Rempublicam, tum ad Sigismundum Báthorium Tranſylvaniæ Principem. Prima Maximiliano Archi-Duci libertatem confecit: altera ANNO MDXCVIII. Tranſylvaniam in Rudolphum tranſtulit; Sigismundo inconſtantis animi Principe in Sileſiam abeunte.

Bocskajanæ pariter, & Turcicæ paci ſanciendæ ANNO MDCVI. 1606
adhibitus, ſumma cum prudentiæ laude munus obivit. Sed Stephani Illyésházii exilium haud modice eum vexavit. Læſæ Majeſtatis, ut dicemus, poſtulatus, cum *Iſtvánffius* Pro-Palatinus Pragam a Rudolpho evocaretur ad ſententiam in reum latam publicandam: patria lege ſe prohiberi repoſuit, qua cautum, ut ne quis extra Hungariæ limites ſententiam ferat; & fortaſſis eandem in patria ex imperio Regis tulerit.

Illyésházius obtenta Pro-Regia dignitate, exilii dolore ſti- 1608
mulatus, eum jam annis gravem proſcribere meditatur. Vix tenuem inaudiit famam; Poſonii, quo inaugurationis videndæ Mathiæ Regis cauſa venerat, dum ad ripam Danubii equo veheretur cum Benedicto Turoczio, familiari ſuo, humore fulmineo afflatus, acres ultionis aculeos in animo Illyésházii hebetavit, nec minæ ultra verba proceſſere. Secuta paralyſis dexteræ, uſu ſcribendi virum eruditum privavit. Itaque cum ultimam manum operi imponere prohibetur, epitomen quatuor librorum confecit. Quæ non eo dicta velim, quo elegantiſſimi ſcriptoris ſeu diligentiam, ſeu fidem in epitome requiras; verum ut palam facerem, ab *Iſtvánffio* nihil non abſoluti expectari potuiſſe a poſteris, niſi fata conatus optimos interrupiſſent. Affecta valetudine, reliquam ætatem lectitando exegit; anno tandem MDCXV. ætatis ſuæ LXXX. in

A. C. Sclavonia obiit. Viniciæ monumento lapideo impoſitus cum hujusmodi epigraphe:

D. O. M.

RUDOLPHO II. IMPERATORE CÆSARE AUGUSTO, PIO, FELICI, NICOLAUS ISTVANFFI, REGNI HUNGARIÆ PRO-PALATINUS HAC CURA POSTEROS LEVARE VOLENS, SIBI, ET ELISABETHÆ BOT DE BAINA CONJUGI PIENTISSIMÆ POSUIT, UT QUI XXXV. AMPLIUS ANNIS CONJUNCTISSIME VIXERUNT, UNA ETIAM RESURGANT. ANNO CHRISTI SALVATORIS CIↃ IↃXCVII. VIVITE SUPERSTITES MORTALITATIS MEMORES.

Paukovicſenſes fortunas multo ſudore partas Zagrabienſibus bonarum artium Magiſtris e SOC. JESU, ANNO MDCIX. perpetuo jure inſcripſit: moriturus iisdem magnam partem librariæ ſuæ ſupellectilis, qua vir eruditiſſimus, & per omnem vitam Muſis addictus utebatur, dono dedit. Hiſtoriam vero ſuam Petro Pázmáno, literarum fautori, teſtamento legavit; qui Colonienſibus typis per Antonium Hieratum editam, perpetuo favore protexit, & *Iſtvánffii* famam nullo tempore interituram ab oblivione vindicavit.

Juverit audire Hieratum in ſua præfatione ad Pázmánum: *Librum hunc Hiſtoricum Author* (Iſtvánffius) *morti vicinus, Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Veſtræ Celſitudini, utpote Amico ſumma benevolentia, neceſſitate, mutuaque ſtudiorum, & ingeniorum harmonia, ſimilique conformitate ſibi conjunctiſſimo, teſtamento legavit. Opus profecto tanto Hærede non indignum: quod ab Illuſtriſſima, & Reverendiſſima Veſtra Celſitudine porro mihi communicatum, inque iſtum finem, ut typis prima quaque occaſione evulgatum publici juris fieret, transmiſſum fuit. Mutuum hoc, ſive mavis, commodatum, Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Domine, Celſitudini Veſtræ nunc reddo, ac remitto, utpote vero, & legitimo ejus Hæredi: ſic enim jus Hæreditarium voluit.* Iſtvánffii noſtri nitidiſſimam Hiſtoriam libris XV. auxit. R. D. Joannes Jacobus Kettelerus Coloniæ Agrippinæ ANNO MDCCXXIV. ac Chriſtiano Auguſto e Ducibus Saxoniæ Archi-Epiſcopo Strigonienſi dicavit. Verum, ut res eſt, dicamus: rerum ubertate, & ſtyli elegantia multo inferior.

GEOR-

GEORGIUS DRASKOVICS A.C.

S. R. E. CARDINALIS,

Archi-Epiſcopus Coloc. Locumtenens Regius.

Sub Rudolpho II. Anno 1586.

Georgius Dráskovicſius commodo Eccleſiæ ANNO M. DXV. natus, virtute, doctrina Majores ſuos, qui Belam IV. e Dalmatia in Hungariam reducem, jam inde ab ANNO MCCXXV. ſecuti erant, maxime illuſtravit, totique terrarum orbi claros reddidit. Eccleſiaſtico inſertus ordini eas cum bonarum artium ſtudiis virtutes præſetulit, quæ maximas infulas implere poſſent. Primum *Præpoſitus Capituli Collegiatæ*, ut vocant, *Eccleſiæ Poſonienſis* ANNO M. DXLVI. poſtea ad Quinque-Eccleſienſem mitram poſtulatus ab Rege ANNO MDL. ita ſapienter inter delubra verſatus eſt, ut ad Concilium Tridentinum juſſu Ferdinandi I. Cæſareus, Regiusque Orator proficiſceretur. Superato admodum difficili itinere, inſigni pompa Tridentum ſubiit; ubi in prima Seſſione Patrum, ob variam eruditionem, multiplicemque, lectus eſt conficiendo librorum indici. In altera Seſſione ſimultas orta eſt *Dráskovicſium* inter, & Ferdinandum Martinez Maſcarenium, Sebaſtiani Regis Luſitaniæ Oratorem; qui Regis ſui poſtulata, præterito *Dráskovicſio* tanquam Regis Hungariæ Oratore, prior recitare contendit. At Maſcarenius cauſa cecidit propterea, quod Regnum Hungariæ cum amplitudine, tum antiquitate rebusque geſtis, Luſitaniæ præſtiterit ſemper: pro quo favore Regno Pannoniæ habito ſingularibus verbis gratias egit. Spondanus hæc fuſiori calamo narrat, additque: *Ceſſat modo hæc inter ipſos controverſia, abſorpta hinc Luſitania cum univerſo ipſius imperio, illinc Hungaria cum Regni umbra, quam retinet.* Verum ſi noſtra tempeſtate viveret Spondanus, palinodiam ſine dubio caneret: potiſſimum cum videamus Hungariam depulſis undique barbaris ſibi de integro reſtitutam. Dixit præterea eo in Concilio orationem de moribus improbis ab Eccleſia removendis: dignam erudito illo auditore, ac frequenti; dignam Cæſaris, Regisque Legato.

In patriam reverſus Pro-Rex Croatiæ, & Zagrabienſium Præſul ſalutatus, hæreſim, ac hoſtile ferrum a civibus depulit. Maximus Pontifex Pius V. *Georgii* ſtudium indefeſſum adverſus rem Catholicam magnificis verbis, data ad eum epiſtola ANNO MD. LXIX. die IX. Auguſti dilaudavit. Mox tranquillitatis publicæ vindex hoſtem ferrum, & flammam minitantem confecit. Novit quippe ſapientiſſimus Antiſtes hanc bellorum, præſertim civilium, infelicitatem eſſe, perinde ut cætera omnia, ita ſacram Religionem detrimenta accipere: & herbarum nocentiſſimas turbido cœlo ſubnaſci,

A. C. nasci, sereno extingui. Plebs rustica, rerum novarum semper appetens, Mathia quodam Gubeczio in Regem delecto, armis correptis turbas hinc, illinc ciebat. *Dráskovicsius* misso Caspare Alapio, & Mathæo Keglevicsio cum expedita manu ad Stubniczam rebelles fundit. Rex scenicus in fuga interceptus, ac Judicibus Regni traditus, ferrea, eaque ignita corona caput circumdatus, ac quadrifariam divisus temeritatis pœnam persolvit. Vide *Istvánf. L. XXIV.* Aliquanto post in comitiis Posonienſ. Jaurinensi nempe ANNO MDLXXVII. obtenta insula, electus Archi-Episc. Coloc. a Rudolpho II. dicitur.

1586 Ad hæc, vacante Sede Strigonienſi, summus Aulæ Cancellarius Regni Hungariæ, & Locumtenens Regius renunciatur. Institere Proceres in conventu Posonienſi, ut tribunal Locumtenentis Tyrnavia Eperjessum transferatur, quod etiam obtinuere per Regem. Denique in Purpuratorum Patrum Collegium a Sixto V. adlectus, novo splendore Hæresim perculit. Et quasi a sacra illa Purpura Religionis tuendæ identidem admoneretur, eam omnibus præsidiis munire aggressus, studium, & operam Soc. JESU petiit; quæ quidem a Nicolao Oláho Archi-Episcopo Strigon. Tyrnaviam ANNO MDLXI. inducta, verum incendio depastis ædibus, ac fundis partim a Turcis, partim ab hæresi evastatis, septennio post, spem quam fecerat, ex Hungaria secum extulit. Itaque *Dráskovicsius* egit cum Rudolpho de reducenda Societate, cui cum saluberrimi consilii rationes probaret, Præposituram Turoczienſem a morte Stephani Radetii, Episc. Agrienſis vacuam, Patribus Soc. implendam, non ægre impetravit. Sic annis unde viginti exules, cum virtutibus, & Musis reddidit Hungariæ non sine bonorum omnium lætitia: quam tamen mors piissimi Præsulis pridie Cal. Febr. MDLXXXVII. corrupit.

Jongelinus in suo catalogo adnotavit: *Georgius Dráskovicsius - - - fit Locumtenens Regius per Hungariam Anno MD. LXXXV. eodemque Anno XV. Kalendas Januarii - - - obiit, ætatis LXII.* At manifestus error, ut liquet e Radetii, cui successit, vita; & epitaphio, quod mox recitabo. De *Galero Cardinalitio* Istvánffius L. XXVI. hæc prodit: *Is* (Sixtus V. summus Pontifex) *Cæsare etiam, atque etiam commendante Georgium Dráskovicsium Episc. Jaur. & Cancellarium Hungaricum, virum doctum, ac vitæ, morumque sanctimonia, & pietate celebrem, in Cardinalitium Collegium cooptavit, misso ad eum Viennam per Gasparem e familia Armorum Bononiensem Patritium, purpureo Galero, quem cum nomine summi Pontificis in templo D. Augustini de manu Gasparis Episcopi Viennensis accepisset, ipse demum Ernestum, Mathiam, Maximilianum, Austriacos Principes, Cæsaris fratres, cerimoniæ ejus spectatores, nec invitatos, sed pro singulari ipsorum humanitate, ac erga se benevolentia, ultro venientes, convivio excepit, &c. sex agesimo secundo ætatis anno vita functus est, non sine Cæsaris, & Pannoniorum Procerum dolore, qui eum cum propter singulares*

cor-

corporis, animique ejus dotes, plurimum amabant, tum vero quod a A. C. *ſexaginta & amplius retroactis annis neminem in Pannoniæ Regno, poſt Thomæ Bakácſii obitum Cardinalem fuiſſe meminiſſent.* Corpus Vienna, vel potius Poſonio devectum, Jaurini in templo Cathedrali terræ mandatum eſt, inciſo lapidi epitaphio:

GEORGIO DRASKOVICS S. R. E. TIT. S. STEPHANI DE MONTE CÆLI PRES. CARD. ARCHI-EPISCOPO COLOCENSI, EPISCOPO JAURINENSI, ET COMITI, S. C. R. M. CONSILII PER HUNG. LOCUMTEN. PRIUS EPISC. QUINQUE-ECCLESIEN. ORATORI IN CON. TRIDENT. EPISCOPO ZAGRAB. DALM. CROAT. SCLAV. BANO, PER HUNG. CANCELL. AVUNCULO SUO MUNIIS, VITAQUE DEFUNCTO PRIDIE CALEN. FEB. MDLXXXVII.

GEORGIUS DRASKOVICS EPISCOP. JAURINEN. ET COMES, ABBAS PORNEN. CRUCIGER SOPRON. S. C. R. M. CONSIL. PRONEPOS VETERI MONUMENTO A TURCIS LABEFACTATO, NOVUM POSUIT PRIDIE CALEND. FEB. MDC. XXXVII.

STEPHANUS FEJÉRKÖVI

Archi-Epiſcopus Strigonienſis, Locumtenens Regius.

Sub Rudolpho II. Anno 1588.

IN comitiis Poſonienſibus, quæ terminata ſunt ANNO 1588 MDLXXXVIII. die XXVIII. Januarii, Hungari, ut ſæpe alias, apud Rudolphum Regem inſtitere, ut exteri præfecturis, & Magiſtratibus moverentur, Palatinus more Majorum crearetur. Verum Rudolphus rejectis in aliud, atque aliud tempus hujusmodi querelis, e Præſulum numero Locumtenentem dixit *Stephanum Fejérkövium*, quem ille Magiſtratum non minus, ac Veſprimienſem Pontificatum, cui ab ANNO MDLXXV. inter perpetuos armorum ſtrepitus præfuit, ſumma & Regis, & popularium gratia adminiſtravit. Iisdem in comitiis delecti ſunt viri jurium peritiſſimi, qui in jure dicundo Præſuli adeſſent. Vide *Dec. Anni MDLXXXVIII. art. XXXIII.*

Nitrienſi infulæ admotus, primus ejus in hoc Epiſcopatu pro ſalute civium deſudavit labor adverſus hæreſim, cujus fautores jam inde a ſacrilegis nuptiis Franciſci Turzonis eam Diœceſim inſederant, miſerumque in modum diſcerpſerant.

Ob

A.C. 1596 Ob singularia merita, ac perpetuum studium sinceræ religionis defendendæ, adnitente plurimum Clemente VIII. Pontifice Maximo, a Rudolpho Rege Archi-Episcopen Strigoniensem tribus, & viginti annis destitutam suo Metropolita, fædeque laceratam, ANNO MDXCVI. die VII. mensis Julii obtinuit. Ante tamen vita decessit, quam a Romana Curia confirmationis tabulæ advenirent, atque pleno jure principi in Hungaria Ecclesiæ præesset. Quapropter Pázmanus quatuor, & viginti annos numerat, quibus vacua Præsule infula Strigoniensis luxit. Hæc est omnium luctuosissima vacatio, qua Sacra apud Hungaros inclinarunt. Nam Antonio Verantio in Archi-Episcopatu ab ANNO MDLXXIII. ad usque MDXCVI. suffectus est nullus, *fortasse*, ut ait P. Timon, *coronato Rudolpho* florentissimo ætate non necessarius; rei tamen Catholicæ præcipitanti subvenire decuisset.

Fuit *Fejérkövius* propagandæ Orthodoxæ fidei ardentissimus, in dandis consiliis acerrimus. Rudolphum Regem non levi difficultate expedivit, dum persuasit, Legatos ad Samoiscium, Remque publicam Polonam mittendos, quo Maximilianus prælio victus, captusque libertati redderetur. Hinc non modicæ laudes in *Stephanum*, cum recte consuluisse, sit recte fecisse. Præter Nitriensem provinciam moderabatur etiam Szaladiensi supremi Comitis titulo, quod e literis ipsius didicimus, & jam in Archi-Episcopis Strigoniensibus pag. 114. laudavimus. Diem supremum obiit MDXCVI. die prima, & vicesima Novemb. postquam quatuor mensium, dierum tredecim Archi-Episcopus Strigoniensis electus fuisset.

JOANNES KUTASSI

Archi-Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius.

Sub Rudolpho II. Anno 1597.

Kutassius eruditione, juxta ac virtutibus ornatissimus, in principem Hungariæ Archi-Episcopen, & Vicariam potestatem Regis evehitur ANNO MDXCVII. die XXII. Januarii. Sic temperante rerum humanarum vicissitudines Divina Providentia, ut, cum Jaurino in exilium actus, vagus erraret; sublimiori de loco in Archi-Episcopatu Strigoniensi fulgeret. Sacra Quinque-Ecclesiensis ANNO MDLXXXVII. subinde ad ANNUM MDXCII. Jaurinensis Ecclesiæ moderari jussus, summusque Regni Cancellarius renunciatus, incidit in tempora bellis, cædibus referta. Etenim Turcæ pace cum Persa inita, belli molem in Hungariam quam maxima celeritate ver-

vertere. Et jam Haſſanes Bosnenſis ferro, flammaque in Croa- A. C.
tiam, vicinasque Hungariæ provincias deſæviit. *Kutaſſius* cum Nicolao Pálffio, Franciſco Nádasdio egit Pragæ apud Rudolphum, ut objecto novo exercitu furor hoſtilis tantiſper reprimatur. Tanto hortatore, ac ſuaſore ſuſceptæ feliciter expeditiones, vindicatæ provinciæ, profligatus hoſtis Duce potiſſimum Nicolao I. Pálffio. Verum Sinanes clade irritatus, majori manu (centum quinquaginta millibus) Hungariam invadit, verſaque belli alea Hatvanium, Strigonium obſidione liberat; Jaurinum, præſidiariis minus ſtrenue rem gerentibus, deditione capit MDXCIV. Hardecus Germanorum Præfectus, etſi nullius proditionis manifeſtus (niſi prodere urbem dicendus ſit, quisquis impari animo urbem ſuſcipit defendendam) deditionis tamen præproperæ reus, una cum Perlino altero Præfecto, juſſu Cæſaris carceri mancipatur. Occupata urbe Præſul ſe in tutiora recepit, & Rudolpho præ cæteris peculiarem operam accommodavit, ut Sigismundus Báthorius Tranſylvaniæ Princeps Daciam cum Moldavia, ac Tranſalpina Valachia pleno jure in Cæſarem transferret. Vide *Decr. Rudol. Anni MDXCV.* ubi pacta conventa Rudolphum inter, & Báthorium XII. Art. proponuntur. Item *Iſtvánffium L. XXIX.*

Secundum fata Stephani Fejérkövii, *Kutaſſium* Archi-Epiſcope cum Magiſtratu Locumtenentis Regii (ut proxime narravimus) excepit. Utrumque hoc munus, dum vixit, ſupra quam credi poteſt, ſapienter egit. Simul ac infulam Strigonienſem adeptus eſt, Fiſco Regio litem movit de *Piſeto*, ſeu de Cremnicenſibus auri ſciſſuris, quas Regum Hungariæ pietas Archi-Epiſcopis Strigonienſibus addixit; at temporum iniquitate *Piſetum* illud intercidit. Iſthoc Regium donum in veterem locum repoſuiſſe, lego in MS. *Kutaſſium*: plurimi tamen Scriptorum, (quos inter elegantiſſimus Author Hungariæ ſuis cum Regibus) Pázmanum cauſam hanc eviciſſe tradunt. Fortaſſe *Kutaſſius* rem poſt tot annos fere antiquatam aggredi, ac viam recuperandi ſuis ſucceſſoribus oſtendere auſus fuerit; Pázmanus, qua erat animi magnitudine, perruptis obſtaculis ex ſententia rem perfecerit.

Sub has lites Religioni longe optime conſulit. Calvinianæ ſectæ Miniſtrum, novitium dogma in cives ſpargentem, Tyrnavia amovit. Ne ad privatam, publicamve concionem hæreſeos patroni dicerent, edicto cavit. In puerorum turbam diligenter inquiri, atque ſacris undis ablui juſſit per Sacerdotes Romanæ Religionis: hæretica labe aſperſos communi terræ tradere vetabat.

Dum hoc modo labor Præſulis deſudat: vidit Strigonium Turcis ereptum ANNO MDXCV. ductu Archi-Ducis Mathiæ: dein Jaurinum MDXCVIII. Ducibus Principe Schvarczenburgico, & Nicolao Pálffio. Poſteaquam vero accepto commeatu ad pacem ſanciendam Strigonium petiiſſet, Turcæque illam haud quaquam amplexuri viderentur: re infecta Tyrnaviam reverſus, ingentium meritorum Præſul extinguitur A. MDCI. die XVI. Sept.

A.C. MARTINUS PETHŐ DE HETES

Archi-Episcopus Coloc. Locumtenens Regius.

Sub Rudolpho II. Anno 1602.

PRæter nobilissimum suæ gentis sanguinem, præcipuis in Hungaria insulis virtutem, literas, eloquentiam, ardorem tuendæ fidei intulit *Martinus Pethő*. Vaciensi admotum insulæ a Rudolpho Rege, invenio in diplomate, quo idem Rudolphus immunitates Crucigeratus Sopronienſis, sua authoritate *roborat*. Epilogum intertexere visum est: *Datum per manus fidelis nostri nobis dilecti, Reverendissimi Georgii Dráskovics Archi-Episcopi Coloc. ac Administratoris Jaurin. ejusdemque Comitis perpetui, Consiliarii, & summi aulæ nostræ Cancellarii, in civitate nostra Viennæ Austriæ, XXVII. die mensis Septemb. Anno Domini, MDLXXXIII. &c. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis præfato Georgio Dráskovics Colocensis, & Bácsensis Ecclesiarum canonice unitarum Archi-Episcopo, Stephano Radetio Agrien. Joanne Monoszló Zagrab. Georgio Bornemissza Varadin. Nicolao Telegdino Quinque-Eccles. Stephano Fejerkővi Vesprim. eodem Georgio Dráskovics Administratore Jaurin. Martino Pethő de Hetes electo Vacien. Stephano Matthissy electo Csanad. Zacharia Mossóczi electo Nitri. Petro Heresinczi electo Tinn. ac Fratre Michaele Biperkovics Segnien. & Administratore Modrus. Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Strigon. Metropolit. Transylv. Sirmien. & Bosn. Cathedralibus vacantibus. Item Spectabilibus, & Magnificis C. Nicolao de Báthor, Judice Curiæ nostræ, C. Thoma Erdődi de Monyorokerék, C. perpetuo montis Claudii, ac Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, C. Georgio de Zrinyio Tavernicorum, Ladislao Bánffi de Alsó-Lindva Agazonum. Balthasare de Batyán Dapiferorum, Nicolao Pálffi de Erdőd Cubiculariorum, Michaele de Révva Janitorum, & altero Michaele Vardai de Kis-Varda Pincernarum nostrorum Regalium Magistris, eodem Nicolao Palffi C. Posonienſi, cæterisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.* Post Vacienſem insulam beneficio Rudolphi obtinuit Varadinenſem ad ANNUM MDLXXXIX. Cum vero annuos fructus admodum tenues acciperet, hæresi, & Turca late dominante, gemina Præpositura Scepusienſis, Jászovienſis eidem attributa est.

1602 Post Joannis Kutasii obitum Locumtenens Regius Hungariæ creatus, jura pro Rege accuratissime administravit. Enimvero vir fuit non minus Ecclesiarum, quam universæ Reipublicæ perquam studiosus; legum ad hæc peritissimus. In Decretis Rudolphi, litibus dijudicandis creberrime datus. Hoc Præsule adniten-

te,

te, & Franciſco Forgáchio, lex lata in comitiis; ut ne *quis* A.C.
Religionis negotium, in publicis tractatibus, & Diætis temere moveat; ſed veterem S. Regis Stephani fidem amplectantur, tueantur, quam noſtri Progenitores ferro, ſanguine continenter propugnarunt. Ipſe Rudolphus aſſeruit: avitam Religionem a tot retro Regibus rite traditam & cordi, & curæ ſibi futuram. At lex iſta per Viennenſem Pacificationem temperata, aut potius expuncta videri poteſt, veluti extra comitia lata. Conſule Pacificationem Viennenſem.

Primus labor Antiſtitis eluxit in ſacris tuendis. Leutſchovia Lutheri Miniſtros Pontificia authoritate exeſſe juſſit. Hoc ſigno quodammodo Religionis defendendæ viſo, illuſtres viri in idem ſtudium incubuere. Liſcæ rem Catholicam ad incitas redactam Ladislaus Pethő germanus *Martini*, priſtino loco repoſuit. Georgius Hommonajus, Franciſcus Alághius, Chriſtophorus Sóóſius, Gaſparus Horváthus in ſuperiori Hungaria fidem diu exulem in ſua municipia revocarunt. Anno proximo Bocskájo turbas ciente per Franciſcum Rédejum, cum iis in procellis portum quæreret Antiſtes Sabariæ, atque loco minus a mœnibus firmo male timeret; in Nimeth-Ujvárinum, Franciſci Batyánii arcem properat: verum in itinere a Kermendienſibus præſidiariis interceptus, rebus omnibus ſpoliatus, vix manus nefarias evaſit. Viennam delatus morbo articulari, annisque gravis quietem poſt fata reperit ANNO MDCV. Ladislaus Pethő funebri pompa Poſonii in D. Martini templo ſepulturæ honore affecit exuvias piiſſimi Præſulis, erecto marmoreo munimento. Exhibet illud, ſimulacrum Antiſtitis ſcite elaboratum, tum verſus aliquot perpolitos.

NON EST VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS DEI

EPITAPHIUM

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINI MARTINI PETHE DE HETES, ARCHI-EPISCOPI COLOCENSIS, EPISCOPI JAURIENSIS, LOCUMTENENTIS HUNGARIÆ.

URNA BREVIS CLAUDIT MARTINI ANTISTITIS OSSA,
FAMAM, ET VIRTUTES CLAUDERE NULLA POTEST.
SI GENUS, ET STIRPEM, ET NATALIA STEMMATA QUÆRAS:
CLAROS PETHEO E SANGUINE JACTAT AVOS.
JUDICIUM SPECTAS, DIÆQUE ORACULA MENTIS?
REGIA, RUDOLPHI NOMINE, JURA DEDIT.
INCLYTA SACRARUM VIRTUTUM INSIGNIA POSCIS?
MITRA SACRO CAPITI TRADITA QUINA FUIT.

A.C. NUM MAJORA PETIS? POTUIT, QUO MAXIMUS ESSET,
EXUL PRO FIDEI, ET REGIS AMORE MORI.

MORTUO VIENNÆ, A. MDCV. DIE III. OCTOB. ÆTAT. LIII. FRATER EJUS LADISLAUS, S. C. R. M. CONSILIARIUS, POSUIT HÆC ANNO MDCVII.

Hæc pauca de *Petheo:* plura aliquando de hoc, & cæteris Præsulibus Annales Ecclesiastici Hungariæ dabunt. Atque utinam! pro dignitate quis beneficia in publicam civium felicitatem per Antistites impensa, uberius persequatur. Nobis, etsi possemus, longioribus esse haud licet. Nimirum rudes lineas in tabula ducimus, ætas veniet felicior, qua plenius expingantur.

FRANCISCUS FORGACS

S. R. E. CARDINALIS,

Archi - Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius.

Sub Rudolpho II. Anno 1607.

SEu Natales, seu doctrinam, seu virtutem in *Forgáchio* quæras, magna omnia reperies. E vetustissima Comitum Familia ANNO MDLX. ortus, quingentos amplius annos, per centum viginti aliquot Heroes ad nostra usque tempora propagata, Patrem habuit Simonem virum non minus bellicosum, ac pium. Virtus excellenti doctrinæ in *Francisco* conjuncta, orthodoxam Religionem in Hungaria prolapsam, difficillimis illis temporibus erexit, & adversus nova dogmata nervis omnibus propugnavit. Severioribus disciplinis excultus in V. Canonicorum Strigon. Collegium translatus; iis claruit virtutibus, ut Vesprimiensis Ecclesiæ Præsul a Rudolpho nominaretur; quam novem annorum spatio barbarorum furore convulsam, ac multa clade attritam mirum quantum recreavit. Pari industria Nitriensem annos duodecim rexit. Stephano Bocskájo subinde turbas miscente, nunquam a Rudolpho descivit. Obsessus a Francisco Rédejo in arce Nitriensi, ultima experiri, quam partes Bocskájanas sequi, maluit. Verum præsidiarii sive excidio suorum fundorum moti; sive desperatione melioris fortunæ acti, invito Præsule deditionem paciscuntur. Is accepto commeatu cum V. Collegio Canonicorum excessit, sociosque Jaurini deposuit.

Inter hos bellorum motus Societatem JESU Religionis causa Heterodoxorum odio expositam, constantia incredibili tuitus est;

ut-

utque in Hungaria ſtabiliretur, unus omnium maxime elaboravit A.C.
Sellyenſe domicilium opem piiſſimi Antiſtitis cumprimis ſenſit.
Quidquid fabricæ parvis admodum initiis creſcenti defuerat, id
manu munifica ſuppeditavit; Bibliothecam coemptis non exiguo
ære voluminibus auxit: neve Præcones Divini verbi Hungariæ
deeſſent, XII. Alumnos, numerata ſingulos in annos pecunia, aluit.

Interea Joanne Kutaſſio vita functo, Archi-Epiſcopatus Stri- 1607
gon. aliquot annos Antiſtite orbus luxit. Rex Rudolphus *Forgá-
cſium* tanto muneri parem, principi infulæ admovit maximo Reli-
gionis commodo: & ſuum per Hungariam Locumtenentem renun-
ciavit. Paulus vero V. Pont. Max in Purpuratorum Patrum ſena-
tum adlectum Pileo rubro in æde D. Martini Poſonii per Nuntium
Apoſtolicum ſumma omnium lætitia donavit, verſibus etiam in
plauſum effuſis.

Mathias Archi-Dux Auſtriæ celebritati ſemet ſubduxit, pro- 1608
pterea quod impetratis a præcipuis Procerum pro dignitate Regia
ſuffragiis, *Forgácſius* obſtiterit unus, neque a Rudolpho deſciſce-
re voluerit: poſtea vero quam voluntati Procerum ſubſcripſit Cæ-
ſar, Mathiam XIII. Cal. Decemb. diademate cinxit in Concilio
Poſonienſi: ubi Stephano Illyésházio, abrogato Locumtenentium
Magiſtratu, Palatini honos decretus eſt.

Summam in Hungarica Eccleſia dignitatem, atque ſacri Sena-
tus Purpuram conſecutus *Forgácſius*, ſtudium vindicandæ fidei no-
vo ardore aſſumpſit. Stephanus Bocskájus ANNO MDCVI. pace
bellum componit: ut hæreſim ſtabiliat in patria; libertatem cum
Helveticæ, tum Auguſtanæ confeſſionis dogma profitendi poſtu-
lat, ac etiam impetrat. Jeſuitarum jus omne antiquari petit, ac
bonis fortunæ exui. Iſthic non plene ſubſcribitur petentis volun-
tati. Anno tandem MDCVIII. omnia vim legis ut habeant, fre-
quentiſſimis in comitiis egere Heterodoxi. At Archi-Epiſcopus
cum univerſo Clero Hungariæ, Regnoque Croatiæ decretis illis
interceſſit. Ipſi Proceres Catholici pro Societate JESU, & Religio-
nis integritate Regem deprecati, auctoritatem ſuam oppoſuere.
Extant hac ſuper re ad calcem L. I. Continuat. Iſtvánffii interceſſio-
nes Ordinum, & Petri Pázmani oratio, ſive Apologia pro Soc.
JESU.

Forgácſius in hoc conventu uti cæteris animoſius pro fide Or-
thodoxa, & Societate egit, ita etiam fortia verba factis adæqua-
vit. Primum ſummo Pontifici Paulo V. Societatem commendat,
utque a Mathia Rege in Sellyenſe Collegium reponatur, quo per
ſummam injuriam deturbata fuit, orat. Dedit Pontifex majeſtate
plenas ad Mathiam ANNO MDCIX. VIII. Idus Novemb. quibus
Collegium Sellyenſe Societati tradendum hortatur. Animum dein
Mathiæ eo permovit, ſua ut authoritate Patres in priſtinas ſedes,
ac fortunas reſtituerit.

Verum cum oppidum Sellyenſe perpetuis Turcarum excurſio-
nibus amiſſo Strigonio pateret, viſum fuit *Forgácſio* Tyrnaviam,

A.C. ubi hodie Collegium magnificum, ac celeberrima optimarum artium Academia surrexit, patres evocandos. Erat ea in urbe pervetus Cœnobium, olim a Sacra Divi Dominici familia inhabitatum, post in sacratas DEO virgines translatum; sed ab incendio vehementer labefactatum: cum parietibus disciplina quoque Religiosa ruinam minitabatur. Itaque Archi-Præsul hunc locum authoritate Pontificia, atque Cæsarea, Martino Káldio, Fran. Szegio S. J. Patribus possidendum tradit. Hoc feliciter peracto; nihil æque ardebat piissimus Antistes, ac ut ædificio incendio, imbribus vitiato novam formam indueret. Jam bis mille florenos e Thuroczienſi Sacerdotio, totidem e suo adjecit. Cum sic indefesso animo pro Religionis integritate excubat, ac Societati cum hæresi luctanti manum porrigit; sinistra tentatus valetudine, ex medentium consilio in thermas proficiscitur: ubi in ardentem febrim incidit, qua lumen illud Hungaricæ Ecclesiæ, & magnus Societatis Patronus extinguitur in oppido S. Crucis in provincia Barsiensi ANNO MDCXV. die XV. Oct. Corpus Tyrnaviam devectum, ad D. Nicolai conditum est hac non satis polita Epigraphe:

ILLUSTRISSIMUS, AC REVERENDISSIMUS DOMINUS FRANCISCUS FORGACS DE GHYMES, S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS, ET ARCHI-EPISCOPUS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ STRIGONIENSIS, LOCIQUE EJUSDEM COMES PERPETUUS, PRIMAS REGNI HUNGARIÆ, LEGATUS NATUS, AC SACRÆ CÆSAREÆ, REGIÆQUE MAJESTATIS SUMMUS SECRETARIUS, CANCELLARIUS, ET CONSILIARIUS, ET CUBICULARIUS.

CARDINALIS (OHE) COMES ARCHI-EPISCOPUS ISTO
FRANCISCUS TUMULO FORGACS JACET. INDUE PLANCTUM
ORBA FIDES, LUGE PIETAS MAGIS ORPHANA, MOSEN
QUALIS IDUMÆUS GEMUIT JORDANUS; UT ALTOS
MŒSTA SAREPTA POLOS SCINDENTEM FLEVIT ELIAM.
CANDIDA RELIGIO, CASTUS PUDOR ÆTHERE MENTEM
EVEXERE: COLIT FAMAM MARE, TYRNAVA CORPUS.

AD LECTOREM:

NIX, ROSA, BULLA, VAPOR, FULGOR, SONUS, AURA, PRUINA
VITA EST; SIC TELUM, NUBILA SIC FUGIUNT.
EXUE VANA, BREVIS PERPENDE NOVISSIMA VITÆ,
FAC PIA, DISCE DEO VIVERE, DISCE MORI.

Sigis-

Sigismundus Ferrarius scribere non dubitavit, præmaturum A. C.
viri fatum acceleratum, veluti pœnam ob Virgines e Tyrnavienſi Parthenone emotas. Sed errat; ut nempe fieri amat, dum primo plebis rumori fidem habemus. Cum iſthoc, uti proxime, & in Hiſtoria Univ. Tyrnav. uberius oſtenditur, non authoritate modo ſummi Pontificis, verum maximis etiam rationibus nixus perfeceſit. Conciliabulo Solnenſi Georgii Turzonis opera ANNO M. DCX. convocato, conceptis verbis interceſſit; Synodum Tyrnaviæ MDCXI. celebravit, quo Antiſtites rem Catholicam erigerent. Impetravit præterea duos Viennæ, totidem Olomucii ex cenſu Pontificio ſuſtentandos Clericos in ſubſidium Tranſylvaniæ. Denique Societatem JESU a Bocskájani tumultus initiis exulem, Tyrnaviam reduxit, eo potiſſimum tempore, quo hæreſis late per Hungariam dominabatur. Reliqua acta præſtantiſſimi Præſulis, vide ſis in *Archi-Epiſcopis Strigonienſibus compendio datis Tyrnaviæ, Anno MDCCLII.*

STEPHANUS VI. ILLYÉSHÁZI

DE ILLYESHAZA, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXIV.

Sub Mathia II. Anno 1608.

PRo-Regiam dignitatem ſex, & quadraginta annos latitantem, *Stephanus Illyésházius*, Trenchinienſis Dynaſta, in priſtinum provexit ſplendorem. Devinxerat ſibi jam ante ſingulari in Regnum ſtudio Procerum animos, atque Mathiæ Archi-Ducis favores; qui unius *Stephani* conſiliis debebat, quod diadema Hungariæ, ſceptrumque vivente Rudolpho Fratre, pene omnium Ordinum votis acceperit. Et valebat tantum authoritate apud patriam; ut auderet hoc magnum opus, atque arduum aggredi, & e ſententia perficere. Sed luſit nonnunquam fortuna *Stephanum*, & e faſtigio præcipitem egit. Oberravit Poloniam biennio integro exul: vidit fortunas ampliſſimas Regio ærario addictas: ſenſit ſpem gratiæ ſibi præciſam: quæ jam ego carptim, breviterque perſtringam.

Aulam Sigismundi Báthorii Tranſylvaniæ Principis gubernavit multa cum laude, non multis annis. Iſthic, neſcio qua de cauſa, odioſis libellis in publicum ſparſis, Rudolphi Cæſaris majeſtatem male proſcidiſſe eſt viſus. Lis intentata primum a centum virali judicio, tum a Senatoribus delectis, quorum ſententia Majeſta-

A.C. jestatis postulatus Viennam a Principe Mathia accersitur. Fidebat æquitati causæ suæ *Illyésházius*, & libellos æmulorum fraude in deteriorem partem detortos, mitiori sensu interpretaturus, ANNO MDCII. pridie Nonarum Novemb. in Curiam properat. Monitus imminentis periculi ab amico, relecto itinere, convasatisque celerrime, quas Trenchinii habuit maximas, pecuniis, & rebus: severiorem sententiam, fuga in Poloniam arrepta, elusit. Sic Trenchinium cum municipiis, & quidquid homo copiosus possidebat, Fisco Regio cessit. Melior fortuna evoluto uno, atque altero anno *Stephanum* erexit Bocskájo Patrono. Hic occupato Transylvaniæ Principatu Hungariam torrentis instar bello involvit: superiori Hungaria in potestatem redacta, atque Trenchinia arce deditione accepta, exulem in patriam restituit, & fortunas sub ANNUM MDCV. Vindici suo gratitudinem repensurus, haud inutilem locavit operam.

Subinde semel, atque iterum Viennam, inde Cassoviam pacis ineundæ causa a Bocskájo missus ad Archi-Ducem Mathiam, studiose, ac diligenter legationem obivit ANNO MDCVI. Pace confecta Rudolphum inter, & Bocskájum meminit sui *Illyésházius*, nec ante Vienna discessit, quam geminas arces, alteram S. Georgii, alteram Baziniam cum omni ditione in præmium laboris impensi ab Archi-Duce acciperet. Et habuit præter studium pacis, merita. Anno proxime præterlapso a Bocskájano, atque Turcico milite obsidione Ujvárinum fractum, opera *Illyésházii* non Mehemeti, sed Rédejo Bocskájanarum partium Duci deditum est; bello finito Cæsari restituendum: quod etiam pactis conventis præstitit, fidemque liberavit. Præterea secundum fata Stephani Bocskáji, Valentinum Hommonajum, atque Nicolaum Bocskájum strenuos Duces, ac arma meditantes, sua industria ad quietem revocavit: denique pacem aliquot annos duraturam cum Turcis, quod felicitati Hungariæ deerat, procuravit.

1608 Isthoc tamen non integra erga Rudolphum fide egisse visus est; quod Mathiæ nimium, quam par erat, faverit. Cum enim certis indiciis cognosceret, non leves inter Rudolphum Regem Hungariæ, atque Mathiam Archi-Ducem simultates fervere, quo magis sibi obstringeret Archi-Ducem, ad capessendum Hungariæ Thronum pellexit. Itaque suadente *Illyésházio* e fœderatis Austriæ provinciis, & Hungaria conscripto XX. millium exercitu, Mathias primo vere, relicto *Illyésházio* sui loco in superiori Hungaria, Pragam contendit, arma illaturus Rudolpho, ni jure suo decedat. Cæsar, ut erat pacata indole, sacrum Hungariæ diadema Mathiæ tradit, quod trecenti Nobiles Hungari sub primis Ducibus Georgio Turzone, Nicolao Zrinyio, Stephano Pálffio, triumphali pompa in castra detulere, indeque Posonienſem in arcem.

Indictis maturo jam autumno XI. Calen. Novemb. comitiis, Mathias Rex Hungariæ salutatus, ut thronum suum stabiliret, qua-

tuor

tuor viros graviſſimos candidatos Palatinatus palam nominat: A.C.
Thomam Erdődium, & Sigismundum Forgácſium rei Catholicæ apprime ſtudioſos: totidem Auguſtanæ Confeſſionis, *Stephanum Illyésházium*, & Georgium Turzonem. Hæſerunt omnium animi ſuſpenſi, quis tandem horum Palatini dignitatem cum Thoma Nádasdio quaſi funere publico elatam, rurſus in vitam reſtituturus eſſet? quapropter viſum plurimis, ne partium ſtudia notarentur, & electio ſine invidia tranſigeretur, ſuffragia in urnam conjici. Sed Majorum conſuetudo obſtitit, & apertis ſuffragiis potior Comitiorum pars *Illyésházio* acceſſit, quam Mathias ſuo calculo firmiorem fecit.

Verum mors opinione celerius e Palatio Regio *Stephanum* movit. Dum enim Reipublicæ intentus, pacis conditiones Turcis explanat, ſtomachi vitio laborans Viennam delatus, fruſtra adhibita medicorum opera, e vita decedit ANNO MDCIX. III. Non. Maji annos natus admodum ſeptuaginta; vel ut aliis placet tres, & ſexaginta. Sine funebri pompa Bazinii in ſacello, quod ipſe de fundamentis eduxerat, tumulum invenit, nulla relicta prole. Caſparum nihilominus Illyésházium ſanguine ſibi junctum e Regio conſenſu Hæredem ſcripſit ea conditione, ut ejuratis Romanis ſacris Lutherum amplectatur. Correxere poſteri errorem hunc *Stephani*, & labem Familiæ inuſtam perpetuo adverſus Religionem ſtudio penitus deleverunt.

GEORGIUS TURZO
DE BETLEN-FALVA,
Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXV.

Sub Mathia II. Anno 1609.

VAcuum a morte Illyésházii Palatium *Georgius Turzo* domi, militiæque rebus geſtis clariſſimus eodem anno ingreſſus eſt. Patrem habuit Franciſcum, ærarii Regii quondam Præfectum. Admodum Adoleſcens militiæ adſcriptus ſub Duce Nicolao Pálffio, equitum ductor varia fortuna cum Turca manus conſeruit. Memorabilis pugna illa, qua pene interiit. Delectis cccc. equitibus Ujvárino egreſſus, propter Strigonium inſidias ſtruxit, in quas certius ut pelliceret hoſtem, Mathiam Huſzárium expertæ fortitudinis virum, paucis cum militibus in conſpectum Turcarum præmittit. Memis Strigonii Præfectus valido agmine erumpens, commiſſa pugna Huſzárium in fugam conjicit. *Turzo* inter arbuſta latitans cum ſuo ma-

A. C. manipulo, numero, non virtute obrutus, cæsis plerisque sociis ægre furori barbarorum se subduxit. Non aliam suorum jacturam ægrius tulit. Quare cladem ut hosti rependeret, in omnem occasionem imminebat; quam etiam sæpenumero ductu fortissimi Herois Pálffii invenit, ac ultionem animo conceptam exprompsit. Ob insignem militaris disciplinæ scientiam præ aliis dignus habebatur, secundum fata Pálffii, præfectura Regni ultra Danubiana, ac Ujvárienſis arcis. Non post multo auspiciis Mercuriani Ducis in aciem progressus ANNO MDCI. digniorem annalibus reddidit victoriam ad Albam Regalem cæsis v. millibus hostium. Arma pertæsus, præfectura, quam cum laude gesserat, in Sigefridum Kollonicsium translata, privatus agebat.

Involuta deinde Bocskájano bello Hungaria, fortunarum jacturam passus, otium, non fidem Rudolpho datam amisit. Tranquillitate reddita Reip. cujus ipse cum Illyésházio præcipuus author erat, Pragam ad Cæsarem comitia flagitandi causa abiit. Redux novas in patria turbas reperit. Haidones, mobile genus, ductore Andrea Nagyio depopulata ora Tibisci, subactoque Putnoko oppido, Tokajæ arci minabantur, quam nuper dono accepit a Cæsare. *Turzo* celeriter flammam extincturus, collecto agmine sparsos, ac prædis intentos aggressus, ad officium reduxit.

In conventu Posonii, a Gubernatore Mathia præter voluntatem Rudolphi celebrato, *Georgii* fidei superior Hungaria, ne quid detrimenti caperet, demandata: eodemque tempore Mathiæ adornanti in Bohemiam expeditionem, strenuam navavit operam, primosque inter Duces Hungarici exercitus, Coronam Regni LVIII. annis peregrinis in terris asservatam, faustas inter populi acclamationes Hungariæ reduxit.

1609 Itaque cum in rebus gravissimis Reipublicæ dexteritatem fortitudini junctam palam fecisset, Pro-Regiam dignitatem plaudentibus etiam vicinis provinciis obtinuit in comitiis Ordinum, quæ ille Regis vice terminavit. Propter singularem auctoritatem, & gratiam, qua floruit apud Mathiam, Acatholici Viennenses eum in civem de industria adlegerunt, ut nimirum Religioni Romanæ pro viribus officeret. Fecit perquam diligenter, quod rogabatur. Et ut primum licuit, Solnam concilium sequacium edixit ANNO MDCX. ac primo vere in frequenti Nobilium conſessu, tres e Ministris suis elegit, nempe Eliam Lavium, Samuelem Melikium, & Isaacum Abrahamidem, qui rebus Divinis præessent, ac munia more suo obirent. Hoc peracto primum Tokaii, tum Cassoviæ cum Legatis Gabrielis Betlenii Transylvaniæ Principis concordiam stabilivit, & Bocskájanum diadema Patakino ad Mathiam deferendum a familiaribus Valentini Hommonai accepit.

Sed gravior subinde cura excepit *Georgium*. Turcæ sive quietem pertæsi, sive prædarum cupiditate acti, Ujvárini, & Levæ regionem infestam reddidere. Pro-Rex periculi admonitus, evocatis e statione militibus utramque validis excubiis firmavit, hostis-

ſtisque ferociam tantiſper cohibuit. Ne arma inferret; metus A. C.
belli, quod multis indiciis, neque ex falſo nunciabatur, obſtitit.

Quapropter in conventu Ordinum ANNO MDCXIV. cui Pala- 1614
tinus pro poteſtate præerat, multa conſuluerunt Patres, viſumque; Oratores mittendos ad Lincenſia Germanorum Comitia, qui conſilium Hungarorum de pace cum Turcis colenda uberius exponant. Et Iſthoc opus Reipublicæ impenſum poſtremum erat *Turzonis*. Nam variis vexatus deinceps morbis, publicis negotiis ſemet ſubduxit: annum agens undequinquageſimum, ab Elia Lanio Lutheranorum Antiſtitum facile Principe procuratus, finem vivendi fecit XI. Calen. Janu. ANNO MDCVI. Eliſabetha Czoboria Conjux cum Emerico filio cadaver apparatu funebri pro dignitate, & opibus tanti viri, IX. Calend. Martii in æde Bitſenſi ſuo ære e fundamentis erecta tumulo intulit.

Quanti nominis, authoritatisque fuerit *Georgius* apud ſuos, Leonhardus Hutterus in *Dedicatione Irenici Chriſtiani* prodit his verbis: *immortalem nominis gloriam, per univerſum orbem Europæum, jure ſibi depoſcit, Celſiſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus Georgius Turzo, &c. Palatinus Regni Hungariæ, qui provida ſua cura, & vigilantia nunquam ſatis laudata præſtitit, ut expurgato omni hæreticorum fermento, Eccleſiis Hungaricis γνησίως reformatis, aurea in religione pax, libertas, ſinceritas, conſtaret.* Emericus Turzo ampliſſimarum fortunarum hæres, Auguſtanæ confeſſioni perinde addictus, in propaganda hæreſi parentis indolem omnino eſt nactus. Libet adferre Davidis Czvittingeri verba e *Specimine Hungariæ literatæ pag. 384. Emericus*, inquit, *Turzo, filius hujus Georgii, ſtrenuus quoque Evangelicæ religionis propugnator, & propagator, fideli, & paterna prorſus ſua cura Eccleſias Lutheranas ſinceris, & orthodoxis miniſtris, verbique præconibus eruditiſſimis ſtabilivit, atque x. Hungariæ comitatibus tres Superintendentes præfecit.*

A.C. SIGISMUNDUS FORGACS DE GHYMES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXVI.

Sub Ferdinando II. Anno 1618.

REspirarunt tantisper Romana sacra, moderante Hungariam altero a Rege loco, *Sigismundo Forgácsio*, qui ante Illyésházium, & Turzonem in civium animis Pro-Rex, tandem omnium votis in comitiis Posonienſibus ANNO MDCXVIII. ampliſſimi Magiſtratus titulum palam ſuſcepit. Patrem habuit Simonem Pincernarum Regiorum Magiſtrum, virum ad extremam usque ſenectutem arma ſtrenue ſecutum, ac in Turcas multis in prælis fortiter dimicantem. Hujus ſub diſciplina actis pueritiæ annis, arte militari imbutus, Paternas virtutes animo complexus, ſtipendia primum fecit in Croatia ANNO MDXCII. ab Haſſane Bosnenſi ferro, & igne vaſtata. Advolaverat ex Hungaria cum bis centenis equitibus veteranis, redditurus cladem barbaro, quam anno ſequenti Thomas Erdődius Banus, cum Ruperto Ekempergio Styrorum ductore intulit, niſi auctis copioſo imbre amnibus, exercitus re infecta in hyberna reduci debuiſſet.

In Hungariam redux campum exercendæ ultionis uberrimum nactus eſt ad Albam Regalem. Hanc Turcis erepturi ad ANNUM MDXCIII. primi nominis Duces Nicolaus Pálffi, Fran. Nádasdi, & *Sigismundus Forgács*, arcta obſidione premunt. Budenſis Baſſa, urbem ut ſibi firmaret, collecta Jánicſarorum, equitumque manu, acie inſtructa, animo majori, quam fortuna, prælium comittit, cæſisque x. millibus, noſtris campum, pariter & palmam ceſſit. Sigismundus qua partæ e victoria gloriæ dulcedine, qua parandæ ſpe allectus, in armis ætatem traduxit omnem. Circumtulit cum Pálffio, ac Nádasdio per Hungariam ſigna, & barbarorum ferociam, quæ orientis vires patriæ infudit, armis ſuppreſſit. Arx Strigonienſis, urbe (quam Regiam dicimus) & Monte S. Thomæ jam captis, machinis fruſtra verberata, victoriam abripuit eo temporis, quo Simonis Forgácſii auſpiciis ad oppidum Turam interfectis tribus millibus, & tercentum Turcarum, plenus de Beglerbego relatus triumphus. Vide *Iſtvanff. L. XXVIII.*

Ad Papam, & Tatam plurima pericula ſubinde exhauſit. In campis Kereſzteſienſibus ANNO MDXCVI. cruento prælio a Maximiliano cum Mahomete concurſum eſt, xx. hoſtium millibus deſideratis, qua in pugna ceciderunt Sebaſtianus Forgács, Petrus Pálffius, Stephanus Eſzterházy, *Sigismundus* vero ad commoda

Pa-

Patriæ ſervatus. Tot laudes bellicæ aulam ei aperuerunt ANNO A. C.
MDC. utque jus in Pincernas, pro more patriæ, ſupremum obtineret, effecerunt. Fruebatur annis aliquot quiete non minus, quam favore Regis, donec Reipublicæ cauſa legationem ad Stephanum Bocskájum ſuſciperet. Hic a Mehemete Veſirio Budæ Rex proclamatus, atque in dies copiis Turcarum auctior, res Hungaras in ultimum diſcrimen vocabat. Nihil horum pro eo, ac oportebat, latuerat Mathiam Archi-Ducem, quare ut hominem ambitioſum a nefariis conſiliis abduceret, *Sigismundum* Legati nomine dimiſit.

Egit iſte omnia, ut res poſtulabat ſapientiſſime una, & graviſſime: verum quia a conſiliis, quæ ſuadebat mitiora, animus Bocskáii abhorrebat; ſcilicet operam luſit. Novis itaque conditionibus inſtructus, ſecundo eum Corponæ, quo ſequaces comitia indixerant, convenit, verum conatu iterum irrito, propterea, quod patriæ, Regisque cauſam fortius, quam ſectari volebant, egiſſet: relaturus pacem operæ ſuæ pretium, ſi remiſſior fuiſſet. Sublato e vivis Bocskájo quietiora ſperare poterat Hungaria, niſi Valentinus Hommonajus Tranſylvaniæ Principatui inhiaſſet. Clam itaque conciliatis peditatus Ducibus conſilia cum Turcis in perniciem patriæ manatura conferebat. At *Forgácſii* induſtria jam tum munere Judicis Curiæ fungentis, machinatio illa in cunis præfocata Hommonajum in ordinem redegit.

Interea Sigismundo Rákoczio extincto, ſubrogatoque in Principem Tranſylvaniæ Gabriele Báthorio, inteſtino bello omnia ardebant. Mathias Rex copias Ductore *Forgácſio* Tranſylvaniæ prima æſtate ANNI MDCXI. infundit: ſubactaque Claudiopoli, ac Cibinio vallis coercito Báthorium premit. Verum ut inconſtans belli alea eſt, reparato Tranſylvanorum exercitu, Báthorius Regias copias aggreſſus palmam in manibus infregit. Ipſe *Sigismundus* duabus hebdomadis in alpibus errans extremam cum ſuis perpeſſus famem, ægre, moleſteque in Hungariam eluctatur. Didicit hic domeſticos hoſtes famem, ſcilicet, & ſitim præ magnis exercitibus eſſe timendos.

Incolumem tamen ſervarunt Superi optimum civem, ut non 1618
minus patriam, atque proſapiam Forgácſianam Pro-Regia dignitate ornaret, quam a frequentia utriusque Nobilitatis in comitiis Poſon. tulit. Subjiciebantur votis liberis terni, præter *Sigismundum* ſuperioris Hungariæ Præfectum, huic muneri omnino pares: Franciſcus Batyánius Agaſonum Regiorum Magiſter, Thomas Erdődius Tavernicorum Magiſter, & Stephanus Tőrők. Sed corona Patrum in *Forgácſium* ferebatur.

Inito Magiſtratu, Rege abſente pro poteſtate præſedit comi- 1619
tiis. Bohemi etenim Friderico Rheni Palatino, inſigni in legitimum Principem Ferdinandum convitio, Rege inaugurato infeſtis copiis omne iter Cæſari interceperunt. Verum major calamitas Palatino, Hungariæque a Gabriele Betleno imminebat. Hic tor-

A. C. rentis instar Regnum funestissimo bello inundans, superiorem Hungariam suæ ditioni subjecit. *Forgácsius* memor dignitatis sparsis per provincias literis, ad arma reprimenda Nobilitatem hortatus est. Sed Betlenii artes authoritatem Pro-Regis everterunt. Jam Posonium Transylvanica tempestas favore civium, & præsidio vacuum involvit. Arx cum Pro-Rege; & corona Betlenio obstitit: fraude tamen in colloquium adductum cum arce, & corona intercepit.

1620 Animo semper Ferdinandi *Sigismundus*, libertatem majorem nactus primum Hamburgi, dein Viennæ totum se Regi reddidit, sumptisque adversus hostem Regium armis cum Bucquojo Cæsarei exercitus Duce, Transylvaniæ Principis animum supra colles suos tumentem repressit, plurimosque primi ordinis viros, minacibus literis ad præsides provinciarum datis, ut ne Eperjessi convenirent a Betlenio evocati, fœderatorum partibus detraxit. Ujvárinum milite, & Gubernatore Stanislao Turzone firmatum, vim, quam Ferdinando se dare, experiri maluit. Itaque Bucquojus cum Pro-Rege machinas admovet. Sed ille temere in Betlenianos illatus ab Hungaro milite hasta trajectus victoriam perdidit, & exercitum. *Sigismundum* vero sinistra valetudo oppugnatione extraxit, dein Tyrnaviæ extinxit XX. Junii ANNO MDCXXVI. magno nimirum confœderatorum gaudio, in quos tanto justius arma sumpsit, quanto fraudulentius in pedicas nuper inductus.

Erat Sigismundus armis apprime, ut tempora illa ferrea exigebant, deditus: Religionis Orthodoxæ, Luthero Petri Pázmani opera exuto defensor acerrimus. Familiam suam a quinis & amplius sæculis rerum gestarum amplitudine illustrem, opibus auxit. Ghymesiensi Gentilitiæ arci novum splendorem indidit; cujus frons hosce versus objicit:

QUID NOTAT HÆC CASSIS? BELLUM: SED VIRGO QUID?
ARTES
PACIS: UTROQUE VALET FORGACSIANA DOMUS.

Sacras ædes non exiguo ære eductas addidit, quas D. Catharinæ honoribus Franciscus S. R. E. Cardinalis *Sigismundi* Germanus consecravit. Tres perantiquo genere illustres in thori socias accivit: Catharinam Losonciam, Susannam Turociam, & Catharinam Pálffiam, cujus insigni pietate justa funebria vertente anno pridie Nonas Aprilis Tyrnaviæ, apparatu magnifico persoluta fuere.

Non ingratum fore existimo pluribus commemorare Catharinæ Pálffiæ factum, quo maxime nomen suum posteritati transmisit. Marcus Crisinus e Canonicorum Strigoniensium Collegio, Stephanus Pongrácz, & Melchior Grodeczius uterque Societ. JESU, odio Religionis, inaudito supplicii genere ANNO MDC. XIX. furias addentibus Petro Alvinczio, Joanneque Reinero, sublati, apud Heterodoxos inglorii jacebant. Pálffia multis blanditiis

ditiis aggressa Betlenium, ut nobilissimas Martyrum exuvias sui juris faceret, tandem eximia arte saltandi impetravit. A.C. Asservantur hæc pignora prodigiis illustrata, Tyrnaviæ in Parthenone Divæ Claræ. Fusiori calamo habentur omnia in libello Typis edito de hisce tribus Martyribus. Pálffia cum Conjuge suo *Sigismundo* ob hoc, & plurima beneficia S. JESU præstita, ejusdem Soc. meritorum omnium particeps effecta est, ut Purpura Pannonica pag. 59. habet.

STANISLAUS TURZO
DE BETLEN-FALVA,
Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXVII.

Sub Ferdinando II. Anno 1622.

TUrzones in superiori Hungaria nobilitate, opibus plurimum valentes amplissimum Palatinatus Magistratum secundo suam in familiam, non sine multorum querimonia, intulerunt. Et *Stanislaus* quidem, quod clarissimis viris Thomæ Erdődio, Nicolao Eszterházio, Francisco Batyánio hoc munus præripuerit, fortunis, quas prope Regias possidebat, in acceptis referre debet. Ne tamen nihil egisse putes *Stanislaum* ante Pro-Regium honorem, & vacuum meritis hoc fastigium conscendisse, brevi, quantum e Scriptoribus corradere licuit, res gestas dabo.

Mercurianus Dux Canisæ ab Ibraimo acriter oppugnatæ suppetias laturus, ANNO MDC. *Turzonem* suis cum equitibus in castra accivit. Ad Sarmassum oppidum commisso semel, iterumque prælio, *Stanislai* virtus, fuso jam hostili exercitu, victoriam confecisset, nisi commeatus inopia Mercurianus in lætiorem campum Cæsareum militem retrahere debuisset. Mercuriano acuta febri extincto, præfecturam exercitus Roswurmius adeptus, expugnato jam Pestho, venienti Ghymesgi Hassani, supremo copiarum Ductori cum valido xxx. millium exercitu, partem militum, Ducibus, Francisco Nádasdio, & *Stanislao Turzone*, in agro Pesthano opponit. Atrox certamen virtute Ducum extractum diu, victoriam dubiam fecit. Sed Turcæ majori numero accurrentes pulso equitatu, campo potiuntur. Victoriam hanc temperavit *Turzo* cum Nádasdio castellis Adono, Pakso, Földvário, expulso præsidio Turcico, in potestatem redactis.

Secundum hæc Franciscus Rédejus, Bocskájanæ factionis Dux, ad Tyrnaviam oppida, villas tristibus flammis in cineres ver-

A.C. vertit ANNO MDCV. Ne *Stanislai* municipia pari ruina caderent, cum Sempthavia arce sua, necessitate victus, Rédejo se subjicit. Exosus vero Turcicam societatem vertente anno omnibus nervis ad pacem stabiliendam incubuit. Bohemos seditiosos ut pariter Ferdinando Regi conciliaret, ab Ordinibus Hungariæ Posonio Viennam ablegatur. Quantus apud Betlenium fuerit; vel inde conjicias. Icto hic fœdere cum Bohemo, Moravo, Turca, ceterisque gentibus in superiorem Hungariam regredi statuit sub ANNUM MDCXX. Sempthavia iter tardavit. Hic apparatu perquam magnifico a *Turzone* acceptus, ut favoris quidpiam redderet, *Stanislaum* citeriori Hungariæ præficit; Emericum vero, Georgii Turzonis filium, consiliorum participem, ac arbitrum jubet.

Vix unus, & alter mensis abierat, Betlenius ad genium suum, id est armorum strepitum cum Turzonibus redit. Bucquojus domita Moravia Hungariæ imminebat. Quapropter Betlenius sæviente hyeme dispositis trans albos montes præsidiis *Stanislaum* præfecit. Is sive metu Bucquoii, sive per valetudinem se in tutiora recipiens, præfecturam in Emericum Turzonem, Juvenem arduis rebus imparem transfert: quod obsequium Bucquojus exustis funditus octo, & triginta oppidis Turzonum, sane militari liberalitate rependit. *Stanislaus* tamen in defendendo Ujvárino incendium temperavit, cæso magnam partem Regio exercitu, ipso Bucquojo, ut ante diximus, interfecto. Funestissimo Bello ut finem imponerent, Nikilspurgum pacis causa Emericus Turzo cum Cardinale Pázmano, & Nicolao Eszterházio concessit; sed brevi non sine luctu Conjugis Christinæ Nyáriæ ANNUM XXIV. nondum egressus extinguitur. *Stanislaus* Emerico succedens pacem feliciter confecit.

1622 Reddita tranquillitate Hungariæ comitia Sopronium convocata Palatium *Turzoni* dedere; quod triennio fide integra ita custodivit, ut cum Regi Ferdinando, cum civibus faceret satis. Petro Pázmano Archi-Episcopo Strigoniensi (quocum litem habuerat Sopronii Regio in convivio, quod digniori loco accubuerit) de Quæstorum rapacitate, qua in Præsulum vita functorum opes desævierunt, querenti adfuit: dumque modum statuere vellet rapacitati, ac in jura præter morem suum altius inquireret, mortem invenit Calen. Maji ANNO MDCXXV. ætatis suæ undequinquagesimo, relictis tribus Hæredibus Stanislao, Adamo, & Michaele. In Basilica Leutschoviensi tumulo illatus isthoc Epitaphium ostentat:

ILLUSTRISSIMUS DD. COMES STANISLAUS TURZO DE BETLEN-FALVA REGNI HUNGARIÆ PALATINUS, JUDEX CUMANORUM, TERRÆ SCEPUSIENSIS, AC COMITATUS EJUSDEM PP. COMES, SACRAT. PRINCIPIS, ET DD. FERDINANDI II. ROMANORUM IMPERATORIS, AC GERMAN. HUNGAR. BOHEM. &c. REGIS, &c. INTIMUS CONSILIARIUS,

RIUS, ET PER HUNGARIAM LOCUMTENENS. MORTUUS A. C. I. MAJI ANNO MDCXXV. ÆTAT. SUÆ XLIX.

HAC SUB RUPE JACET STANISLAUS TURZO, SECUNDUS
A REGE IN REGNO QUI REPUTATUS ERAT.
PRO PATRIA MILES, PRO JUSTITIAQUE FIDELIS,
NEC QUOD IN HOC POSSET CARPERE, LIVOR HABET.

NICOLAUS XI. ESZTERHAZI
DE GALANTHA,
AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXVIII.

Sub Ferdinando II. & III. Anno 1625.

MAgnus Hungariæ Pro-Rex *Nicolaus*, religione, fortitudine, fide, pietate, juſtitia, omni virtutum genere nulli ſecundus, grandem a nobis expoſceret paginam, niſi illuſtria acta in epitomen cogeremus. E vetuſtiſſima, Principeque Proſapia (nam ad Duces Hunnorum originem nonnulli referunt) ſed in ordinem curſu temporum equeſtrem redacta, ortus; Patrem habuit Franciſcum Comitatus Poſonienſis Pro-Comitem, Matrem Sophiam Illyésháziam, Stephani Illyéházii Pro-Regis ſororem, Galanthæ domo patria natus ANNO MDLXXXII. ad VI. Idus Aprilis. Tenera in ætate virtutem amplexus, Parentum in ſe correcturus errorem, Romanæ fidei ea animi fortitudine ſe adjunxit, ut omnes blanditiæ, quibus identidem petitus erat, velut ad ſcopulum impactæ frangerentur. Domo itaque paterna, ac copioſa hæreditate odio Religionis excluſus (jam tum per eos calles ductante providentia, qua rebus adverſis mature, ac fortiter inſueſceret) Stephano Illyéházio adhæſit, quo cum in Poloniam exactus, verſa Hungariæ fortuna, poſtliminio rediit. Hic de integro Stephanus, ut ſæpe alias, labefactare animum *Nicolai* adlaboravit, Lutheri ut dogma amplectatur. Trenchinienſe caſtrum cum ampliſſimis municipiis expugnandæ conſtantiæ adhibet. At maluit is, & opes, & aulam Palatini deſerere, atque ab integerrima Religione pedem referre.

Secundum igitur exul ad Franciſcum Magocſium Præfectum Caſſovienſem ſe confert: cujus in aula morum gravitate, vitæ candore tantum æſtimationis ſui ab invidis quoque continuo collegit, ut omnium amorem in ſe raperet, ipſumque Franciſcum illo vi-

A.C. vendi instituto præcipue devinciret. Post fata sui Patroni, ducta in connubium ANNO MDCXI. ultro se offerente Xenii loco, Ursula Dersffia de Szerdahely, Magocsii superstite vidua, ampliſſimas adeptus fortunas, ad majores quoque honorum gradus pervenit. A Mathia Cæsare in syllabum *Baronum* additus cum fratribus Gabriele, Daniele, & Paulo: celeberrimam legationem obivit currente ANNO MDCXIV. Lincii cum Napraghio Colocensi Archi-Episcopo, Valentino Lépesio Nitrien. Antistite, &c. ubi facunde juxta, ac sapienter res Hungaras prolapsas Austriis, Styris, Bohemis, Silesiis, Carnis, exponens, pacemque cum Turcis ineundam graviſſimis rationibus commendans, desiderium sui, ac nominis famam apud exteros reliquit. Patriæ redditus Religioni quotidie magis, ac magis labanti consultum ibat, dum Petrum Pázmanum bono publico, & Ecclesiæ natum cum cæteris Procerum, a Mathia Rege, Pauli V. Pontificis venia, Archi-Episcopi Strigoniensis infulæ admovendum exorat.

Tantam industriam utrique Reipub. impensam Mathias muneraturus, eundem Comitis Bereghiensis ANNO MDCXVII. altero post Zoliensis, Curiæque Regiæ Magistri titulis insignit. Quibus ornamentis jam illustrior binas legationes susscepit: unam ad Bohemiæ Proceres, alteram ad Betlenium Károlinum, qua hominem turbis innutritum ad saniora, perdita opera revocare nitebatur. Etenim Betlenius occultis conjurationibus, publicis fœderibus, imploratis undecunque locorum, gentiumque subsidiis auctus, ostentato falso libertatis signo, Hungariam astu sciſſam invadens, terrore perculsos Proceres sibi adjunxit: post occupato Posonio indictis ad diem D. Martino sacram ANNO MDCXIX. comitiis, *Nicolaum* absentem per epistolam, cujus postrema verba adnectimus, invitat: ut legere est in *Contin. Istvánffii L. III.*

Nos quoque vestram spectabilem, ac Magnificam Dominationem amice monendam, hortandamque voluimus; ut pro complanandis, præveniendisque omnibus iis gravaminibus, & offensis, quibus & nos in fœdere Transylvanico semper animi pendentes hærebamus, & Status Hungariæ pleni querelis, pleni acerbitatibus premebantur, in ipsa liberrima Diætalium comitiorum celebritate ad diem, & locum prænotatum, sine ulla mora, & excusatione comparere, & quod maxime e re communi fuerit, cum reliquis Dominis Prælatis, Baronibus, Magnatibus, & Nobilibus, cæterisque Statibus, & Ordinibus prædicti Regni Hungariæ in medium consulere, atque decernere velit. His spectabilem, ac Magnificam Dominationem vestram diu feliciter cupientes ex animo valere. Datum in Libera, Regiaque Civitate Posonienſi die xx. mensis Novembr.

Verum cum juratam Regi fidem servaret *Eszterházius*, fœderatisque obsisteret, in Neosolienſi consessu a Betlenio scenico Rege, cum Pázmano, Thoma Balassio, Georgio Hommonajo, & universa Societate JESU proscriptus, exilio mulctatur. Subinde Stephanus Huszárius Calend. Octob. copias Lakempachiæ arci

cir-

circumfundit, ut ei vel fidem, vel libertatem eripiat. Adfuit laboranti Dampierius, illataque clade hoſtibus, ipſo Mathia Taradio peditum Ductore cæſo, columen patriæ vindicavit. Periculo exemptus Hamburgi, dein Niklſpurgi Legatus feliciori eventu pacem Betlenio perſuadet ANNO MDCXXI. de qua Cæſarem admonens *Camerarius*, & Ujvárienſis, confiniorumque ante-montanorum *Capitaneus*, denique Judex Curiæ continuo renunciatur. Quo in munere quanta fide, fortitudine verſatus ſit, iſthoc addidiſſe ſufficiat. Rupto fœdere, Betleniani cum Agrienſi, Bosnenſique Turcarum Præfectis in Hungariam, Moraviam ferro, & flamma ſævierunt, liberos, conjuges miſerorum Civium, pecorum ritu in perpetuam abacturi ſervitutem. Jamque mancipiis, opibus graves ad Ujvárinum iter faciebant. *Eſzterházius* in omnem occaſionem pervigil, barbarorum itinere obſervato, militem e ſtativis evocat, ponteque Nitriæ fluvii dejecto, ſecurum quam maxime ſui hoſtem adoritur. Primo impetu trecenti ſternuntur, reliquos metu perculſos in fugam agit, & quod victoriam dulciorem fecit MCCCXC. Chriſtianos Moravos partim, pattim Hungaros in libertatem aſſerit. Ordinum Ductores in pugna, vel fuga intercepti ſunt plerique. Facile nempe veniunt in poteſtatem alienam, qui præ timore ſemel exiere de ſua. Hi cum ademptis ſignis Viennam ad Ferdinandum miſſi, urbi ſpectaculum, *Eſzterháziano* nomini gloriam præbuerunt. A. C.

Victoriarum curſum novus Hymæneus interrupit. Nam poſt Urſulam Dersffiam MDCXIX. fato immaturo ſublatam, Chriſtinam Nyáriam Emerici Turzonis viduam ſibi in thori ſociam legit ANNO MDCXXIV. die XV. Martii ex qua eas ſuſcepit proles, quæ tantum Patrem virtutibus referrent, & in civium animis deſiderium *Nicolai* nullo tempore extinguendum mitigarent. His nuptiis firmata *Eſzterháziana* Familia, novam Heroum coloniam per Hungariam diffudit, quibus poſteritas ob res præclare geſtas plurimum debet. Unum deerat *Nicolai* meritis, quod optimi populares ſinceris votis jam a multis retro actis annis optavere: nimirum ut Pro-Rex Hungariæ audiret.

Et comitiis quidem Sopronium convocatis ſummam votorum 1625
conſecuti ſunt, dum omnium candidatorum virtutes in ſe colligens, omnium pariter Ordinum ſuffragia impetravit ANNO MDCXXV. die ſecunda, & vigeſima Novemb. maximo bono Orthodoxæ Religionis. Ferdinandus electionem ratam habuit, ſingularique favore ſupremum Sopronienſium Comitem dixit; ſimul arcem Frakno ampliſſimo, ac perpetuo jure in eum, ac poſteros contulit.

E Palatio in campum progreſſus adverſus Murtezanem, & 1626
Betlenium, Hungarorum copias Vallenſteinio conjungit. Non diu deliberatum, quo arma vertenda. Neogradienſem arcem Murtezanes obſidione cinxerat, tutante locum incredibili fortitudine pro Regia parte Paulo Eſzterházio Palatini fratre. Huc Du-

A. C. ces ſimul ac adproperant, Murtezanem in præcipitem fugam conjiciunt. Betlenius Tranſylvanum militem Turcico immiſcens pugnam meditabatur. Jam intra ictum hoſtis conſtiterat, jam claſſica cecinerant: cum Betlenius viſo florentiſſimo Ducum exercitu ad ſolitas artes converſus de induciis tridui, vel bidui Vallenſteinium interpellat; quas etiam, fruſtra diſſuadente Palatino, qui hominis genium fraudibus compactum novit, impetrat. Secunda noctis vigilia Betlenius collectis vaſis ſumma celeritate cum Turcis ſe ex arena ſubduxit, Vallenſteinioque, ut olim Hannibal Fabio, egregie impoſuit.

1628 *Eſzterházius* ignavia alterius corruptam victoriam graviter, moleſteque tulit: ut tamen tranquillitatem civibus, quam ferro non poterat, ſtabiliret; ſaluberrimis conſiliis, indefeſſa induſtria adlaboravit, nomenque ſuum ultra Patriæ limites diffudit. Philippus IV. (in Trophæo *Eſzterh.* lego Philippum III.) Hiſpaniarum Rex motus tot rebus feliciter ſago, togaque geſtis, aureo viro aureum vellus contulit cum inſigni factorum memoria: *Habentes ſingularem informationem bonarum qualitatum, virtutum, & laudabilium actionum, ac meritorum Perſonæ, noſtri chariſſimi, & dilectiſſimi cognati Domini Nicolai Comitis ab Eſzterház in Galantha, Palatini Regni Hungariæ, &c. faventer inclinati ſumus ipſum eligere, & denominare, prouti in effectu elegimus, & nominavimus equitem, & confratrem noſtri dicti Ordinis, &c.*

Hoc raro decore ornatus Religioni more ſuo, & Soc. JESU totus prodeſſe ſtuduit. Pázmani præclaros pro re Chriſtiana conatus ſua authoritate majorem in modum promovit. Fructus ſacris ædibus, aut Curionibus addictos, ut ne Præfecti oppidorum uſurparent, neu in profanos uſus adhiberent, pro poteſtate imperavit. Ipſe Apoſtoli munere fungens multorum animis errores Lutheri, Calvini exemit, multorum ſalutem vindicavit. Turzones præpotentes ſuperioris Hungariæ viros, Eccleſiæ Romanæ eloquentia ſua reſtituit. Optimum ſtudium Pro-Regis Religioni impenſum Georgius Rákoczius e Tranſylvaniæ collibus nonnihil interturbavit. *Eſzterházius* rapto ſub ſigna milite, Rákoczio pro viribus obſiſtit, levibusque factis præliis dubia victoria exercitum reducit. Ne pedites Hungari a ſignis dilaberentur, novo ſtipendio fidem eorum obſtrinxit.

1641 Laboranti hunc in modum pro patria, lectiſſima Conjux Nyária eripitur Senthavienſi in arce ANNO MDCXLI. die XVII. Febr. jam inde ab ANNO MDCXXV. ad ſacra Romana magno utique *Nicolai* gaudio traducta. Solennes exequiæ habitæ Tyrnaviæ: Baſilica Soc. J. pullo panno veſtita, mille, & centum lampades dies, & noctes ignem alentes tum mœrorem, tum pietatem magno ſtudio concurrentis populi auxerunt.

Sub hæc Georgius Rákoczius ſenior ſeu I. otium pertæſus, bellum in Ferdinandum III. meditabatur, palamque icto fœdere cum Sueco, arma parabat. Palatinus hominis arrogantiam, amicitiam

citiam cum Sueco toti patriæ funeſtam, proditionem Regni, mul- A. C.
tis ad eum datis literis objectavit, pacemque graviſſimis rationibus perſuadere contendit. Sed fortuna Sueco propitia ardorem pugnandi non modice ventilavit, atque eo perpulit Georgium, ut multarum gentium armis, conſiliisque Gallorum adjutus, in apertum bellum proruperit. Caſſovienſes, Forgácſio præfectura moto, atque urbe excedere juſſo, Rákoczianæ factioni accedunt.

Ne involverentur cæteræ provinciæ, Ferdinandus Rex *Eſz-* 1644
terházium cum fida Hungarorum manu, & Pucchamium cum Germanicis copiis in ſuperiorem Hungariam dimittit. Caſſovia obſidione cincta utriusque Ducis induſtriam luſit: ad extremum majoribus machinis deſtituti, & anguſtiore in dies annona ipſi Duces preſſi, re infecta in hyberna diſcedunt.

Vertente anno, poſtquam Rákoczium inter, & Regem Fer- 1645
dinandum pacem ſtabiliviſſet, ætate jam in ſenium deflexa, belli, pacisque ſtudiis, authoritate, pietate, Europa, qua late patet, celeberrimus, fatis conceſſit in oppido majori Hőfflán ANNO MDC. XLV. die XI. Sept. Funus exquiſito apparatu Tyrnaviam devectum, in templo Soc. J. quod ipſe e ſolo excitaverat, monumento Familiæ *Eſzterházianæ* impoſitum eſt, operante ad aras Joanne Telegdio Archi-Ep. Colocenſi. Paulus S. R. I. Princeps, Hungariæ Palatinus, parentavit magnis Patris manibus his verſibus marmori inciſis:

VIATOR ATTENDE

MARMOREA, QUAM CALCAS PORTA, AD MORTEM EST ÆRARIUM. HOC SUB LAPIDE

PRETIUM SÆCULORUM, ET MELIOR HUNGARIÆ THESAURUS EST ABSCONDITUS, POSTQUAM GLORIOSISSIMO SANGUINE;

QUIA REGUM S. LADISLAI, ANDREÆ HIERO: LUDOVICI PRIMI, SIGISMUNDI IMPERAT. &C. COGNATO INNEXA SANGUINI CELEBRATISSIMA ANTIQUITATE;

QUIA VII. ET X. ANTE SÆCULA IN MAGNO SCYTHARUM PRINCIPE OPOS, IN EURSO HUNNORUM DUCE, AC TOT ALIIS DOMINATA CELSISSIMA, ET ILLUSTRISSIMA FAMILIA

ESZTORAS

LOCUM HUNC IN LOCULUM DELEGIT SEPULCHRALEM. JACENT HIC GRANDES ILLÆ, ET VERE PRETIOSÆ ANIMÆ:

NICOLAUS

HUNGARORUM PRO-REX ÆTATIS SUÆ ORACULUM:

A.C. LADISLAUS ITEM, FRANCISCUS CASPAR. THOMAS, FUSO PRO PATRIA SANGUINE HEROES PURPURATI.

EORUM NOMINI, ET POSTERITATI SUÆ AC PRÆSERTIM PARENTIS SUI

N I C O L A I

PRO-REGIS, ET MATRIS

C H R I S T I N Æ N Y Á R I

MANIBUS

SEPULCHRALEM HUNC PONEBAT LAPIDEM FILIUS S. R. I. PRINC. HUNGARIÆ PALATINUS, &c.

P A U L U S E S Z T O R A S.

A B I V I A T O R,

ET CUM MAGNAS ANIMAS IN CINERES ABIISSE AUDIS, INGEMISCENS, UT HIS EX CINERIBUS IMMORTALES RESURGANT PHÆNICES

PRECARE; NAM DECET.

Et pietas quidem Filii, memoriam Parentis apud ſeros poſteros victuram marmori inſcripſit; verum omni marmore conſtantius eandem tuentur res geſtæ, quæ hodiedum in civium animis vivunt. Baſilica præterea Tyrnavienſis Soc. JESU majeſtate, arte, decore LXXX. millibus erecta, quamdiu ſtabit, memoriam *Nicolai*, atque Eſztoradum ab interitu vindicabit: Orthodoxa Religio difficillimis illis temporibus ad incitas redacta, quod funditus everſa non ſit, viri maximi; Franc. Forgácſius, Petrus Pázmanus Archi-Epiſcopi Strigon. atque Pro-Rex *Nicolaus*, concordibus ſtudiis effecere. Illi voce, calamo rem pene perditam; hic ferro, conſiliis, piis ſermonibus Heterodoxos Romanæ Eccleſiæ reſtituit. Ardorem propagandæ ſinceræ religionis e literis diſcas, quas ad Synodum Provincialem, ab Emerico Loſio Archi-Epiſcopo Strigonienſi Tyrnaviam coactam ANNO MDCXXXVIII. dedit. *Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Venerabiles, & admodum Reverendi DD. Amici, & Fratres obſervandiſſimi. Licet quidem ad terminum congregationis Dominationum Veſtrarum pro quibusdam ſumme neceſſariis, bonum publicum, ac promotionem Catholicæ religionis concernentibus oretenus præſentandis, intereſſe animitus cupiverim, ob certas tamen, & inevitandas neceſſitates, moras agere cogor. Quas conſiderationes ſuggerendas judicavi, brevi calamo conſtrictas hiſce incluſas ſubmitto. Obteſtans unice, cum prava hæreſis non ſolum intrinſeca occupaverit, verum etiam in ipſas medullas Eccleſiæ noſtræ Apoſtolicæ, Regni quondam ſanctiſſimi Hungarici pervenerit, nullis parcendo laboribus, enitantur ad majorem Dei gloriam, Spiritus Sancti gratia refecti, concludere, ſtatuereque, quidquid in exemplum proximi, mutuam charitatem, Regni tranquillitatem, avitæ religio-*

ligionis reductionem, ſalutem errantium, & reſipiſcentiam hæreticorum conducere neceſſum erit; ſubjiciens tamen omnia altiori judicio, & diſcretioni Dominationum Veſtrarum Illuſtriſſimarum, Reverendiſſimarum, Venerabilium, ac admodum Reverendarum; quarum precibus, & ſacrificiis me cætero commendo. A.C.

Quæ vero Pro-Rex S. Synodo in iis literis propoſuerit, hæc ſunt. I. De conſervanda animorum conjunctione in Clero. II. Ne plura beneficia uni conferantur; cum in comitiis numerus votorum minuatur. III. De reducendis Religioſis, bellorum occaſione pulſis. IV. Ut Epiſcopi, & Beneficiati ob conſervandos, colendosque fundos partim, partim vero ovium ſuarum inſtructionem, in locis ſuis reſideant. V. De permutatione beneficiorum ſine cauſa. VI. De viſitatione Parochiarum. VII. De beneficiis civitatis Sopronienſis. VIII. De ordine Epiſcoporum, Abbatum &c. in ſeſſionibus Diætarum deinceps obſervando. IX. Collationes Epiſcopatuum, & beneficiorum ſine præſcitu, & informatione a Metropolitano petita, non debere fieri. X. Ut in Epiſcopatu Vacienſi magna parte Turcis ſubjecta, duo ad minus Sacerdotes conſtituantur, qui plebi miſeræ, obſequio Spirituali ſuccurrant. XI. De Epiſcopatu Tranſylvaniæ, & aliis Epiſcopatibus per Turcam avulſis, ut de his apud Sanctiſſimum agatur. Epilogus literarum eſt hujus tenoris:

Conſcientioſe tamen proteſtor coram Dominationibus Veſtris Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Venerabilibus, admodum Reverendis, Metropolitano Strigonienſi, & tota Venerabili Synodo, quod hæc non eo animo ſuggeram, quaſi ego vellem in his diſponere, aut animo inimico ductus intendam aliquos tactos, declaratosve. Verum quod ſolum DEUM præ oculis, & fidei Catholicæ propagationem gerens, pro quibus vitam cum ſanguine fundere paratus ſum, in commune dulcis patriæ commodum, ſtatusqae Eccleſiaſtici, & ejus jurisdictionis promotionem hæc breviter perſtrinxerim. Et hæc habui ex charitate Chriſtiana, Zelo propagationis religionis Catholicæ, conſervationis publicæ tranquillitatis, ac mutui veri Chriſtiani amoris Dominationibus veſtris Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Venerabilibus, & admodum Reverendis ſuggerenda, obteſtans, ut ſedulo, pie, & ſancte, in hocce ſuo inſtituto progrediantur, cum neceſſitas, leoque rugiens, & nunc intima depaſcens ſufficienter ovili Domini proſpiciendum cenſet. Datum in Curia Höfflánenſi XI. Junii Anni MDCXXXVIII. Earundem Dominationum veſtrarum, Servitor, Amicus, & Frater paratiſſimus COMES NICOLAUS ESZTERHAZI.

Societ. JESU ob pietatis, ac bonarum artium ſtudia in Hungariam illata, juvenis acerrime defendit, vir affectum haud mutavit, ſed auxit. Ut vero pietas cum literis latius floreret, præcipuus author cum Pázmano, Georgio Lipajo, Paulo Pálffio, Ferdinando Regi fuit; Gymnaſia Juventuti Hungaricæ ſub diſciplina Patrum Societatis ut erigerentur. Jamque tunc vir ſapientiſſimus ea jecit ſemina, quæ noſtra ætate fructus uberrimos ſumma in matu-

A. C. turitate ferunt. Quantum per negotia Reipub. licuit, quotidie libris, in rebus fidei controverſis, evolvendis; aut piis precationibus inhæſit. Menſa non ſalibus, facetiis, ſed ſalutari colloquio, aut lectione ſacrorum Codicum abſolvebatur. Hoc ille condimentum cibis addere conſtanter ſolitus. Hinc plures hoſpites, quos Lutheri dogmatibus irretitos accepit; Catholicos abs ſe dimiſit.

Prolapſæ Avorum pietati multum ingemiſcens, felix id ſæculum memorabat, quo priſci Hungari Mariæ corollis ferro appenſis ad pugnam coorti victorias potiti ſunt. Quo vero cultu ipſe in magnam Hungarorum Dominam fuerit, vel ex hoc conjice, quod illuſtris Scriptor ſine adulationis ſuſpicione adfert. *Nicolaus Eſzterházi magnus Pro-Rex Hungariæ, Ladislao ſuo filio quindecim annos nato, die illius natali Coronam B. Virginis miſit pro natali vinculo: & nunciavit; ſe illam corollam pro illo hactenus recitaſſe, nec ullo die omiſiſſe, ex quo ipſe natus eſſet.* Vide *Joannem Nádaſi e Soc. JESU in Anno Divini Amoris Men. IV. Num. LXXVI. pag. 141.*

Sanctitas Juſtitiæ quo loco apud eum eſſet, luculente oſtendit ante, quam publicis Regni muneribus admoveretur. Forte excuſſis municipiorum inſtrumentis, reperit Regeczianam arcem, ut ſus deque Bocskájanis turbis miſcebantur fortunæ, potiori jure ad unum e famulis ſuis, ac ad ſe pertinere. Adoleſcentem nihil ſimile cogitantem cultiori indutum veſtimento, in frequenti Magnatum corona in convivium adhibet, Hæredem arcis pronunciat. Res belli actas ſupra recenſui, quæ citra ullam invidiam priſcis Hungariæ Heroibus parem faciunt. Vixit igitur *Nicolaus Eſzterházius* DEO, Regi, patriæ ſemper fidus, ut merito tantum caput Eſztoradum domus habere debuerit, ut, quanta modo eſt, efficeretur.

JOANNES V. DRASKOVICS

DE TRAKOSZTYAN,

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum LXXXIX.

Sub Ferdinando III. Anno 1646.

MOerorem, quo funus Nicolai Eſzterházii Hungariam confudit, *Dráskovicſius*, ut ſucceſſione Pro Regiæ dignitatis, ita virtutum ſplendore, ingenii ſagacitate illi proximus, magnam partem levavit. Patre editus Joanne, Croatiæ Bano, cujus virtutem ex hac Epigraphe, in æde Poſon. Divi Martini, inſcripta tumulo cognoſces.

SPES

SPES MEA CHRISTUS A.C.

PALLADIS, ET MARTIS COLUMEN: PIETATIS AVITÆ
VINDEX: HIC VIRTUS HUNNIA, SPESQUE JACET.
O DRASKOVICSIOS DENT POSTERA SÆCULA MULTOS!
GLORIA PRISCA HUNNI MARTIS, ET ARTIS ERIT.

Studiis humaniorum literarum, ac Philoſophicis ſcientiis perpolitus, quas Græcii Styrorum felicitate ingenii, maxima ſui commendatione palam propugnavit, adjunctaque multiplici linguarum notitia, atque rerum militarium peritia, claris indiciis docuit, nihil ſe aliquando mediæ fortunæ paſſurum. Præter hæc indefeſſum Religionis ſtudium *Dráskovicſii* famam nominis longe, lateque propagavit, quo Ferdinandus III. Hungariæ Rex motus, eum primo Criſienſi præfectura, tum Bani Illyrici prærogativa ornat ANNO MDCXL. die X. Julii. Vide *Georgium Rattkai de Nagy Thábor Lectorem, & Canon. Zagrab. in Memoria Regum, & Banorum Dalmatiæ, &c.*

Illyrico moderando præfuit ſeptennio, quo tempore regio- 1640
nem illam bella Turcica, eluviones aquarum, peſtifera lues uno velut agmine exercuerunt. Signa primum contulit ad Quoſdantiam non minori ſucceſſu, quam animo cum Turcis, Duce Petro Keglevicſio noti roboris viro: Oda Baſſa, Aga Bradavica copiarum Præfecti in captivitatem venere, reliquis fugam capeſſentibus. Hanc Victoriam potitus in Claduſſianos Savi accolas, Carloſtadianam oram, ac Rechicam arcem infeſtantes, arma vertere decrevit, ne impune prædas agerent. Itaque evocatis ſex peditum cohortibus, ac quatuor equitum turmis, ſeptimo Idus Novemb. Colapi fluvio ſuperato ad Cladusſam contendit. Aderat cum veterano equitatu, Lupus Erdődius, Lupi Erdődii, quondam Bani, Gener, præter Caſparem Orechocium Vice-Banum, Joannem Vaikovicſium turmarum Ductorem. Præmiſſo peditatu *Dráskovicſius* cum exercitu ſequebatur. CXL. Turcæ pugnam auſi, ea fortitudine excepti ſunt, ut ademptis tribus ſignis militaribus, plurimis cæſis pauci in arcem evaſerint. Et potuiſſet eodem die Cladusſa capi ſomno, vinoque ſepultis hoſtibus, ſi peditatus recta in arcem tetendiſſet.

Hunc in modum *Dráskovicſii* induſtria pacato ab hoſtibus Illyrico, aliunde calamitates Croatiæ incubuere. Peſtem provincias late depaſcentem ſecuta incredibilis aquarum vis, ſpem uberioris meſſis uno tempore civibus ademit. Incendium dein Zagrabienſi in urbe exortum, quo major pars urbis cum Cathedrali templo in cineres abiit, Croatarum animos penitus afflixit. Banus in omnium deſperatione, unus ipſe erectus, excelſusque, ac omni illo infortunio major, qua privatis, qua publicis rebus, paterna prorſus cura conſuluit. Et profecto ſi quæ tempora, illa ſine dubio induſtrii viri operam deſiderarunt. Etenim Turcæ in arma coorti ANNO MDCXLVI. adverſus Venetos per Croatiam

A. C. ferro viam facturi certo rumore ferebantur. Missо in Styriam Joanne Vaikovicsio, in Carinthiam, ac Carnioliam Mathia Orsichio fœderatas provincias pro apparatu bellico, *Dráskovicsius* non instrenue defensionem adornat. Præfectis limitum in mandatis præterea dat, arcem Gradacziam armis infestent, consilia hostium explorent: ipse vero finitima loca propugnaculis firmat: præsidia Gore, Pokupzko, & Berkussa XL. annis ruderibus sepulta erigit, ac meliori forma restaurat.

1646 Interea mortuo Eszterházio Ferdinandus Rex Posonium comitia indicit. Banus, ne quid detrimenti Croatia se absente caperet, Comitem Nicolaum Erdôdium sui loco pro potestate imperaturum relinquit. Princeps cura Patres incessit Palatini eligendi. E candidatis Adamo Forgács, Stephano Betlen, Ladislao Nyári, Nobilitas uno & viginti supra centum votis *Dráskovicsium* bono Religionis Pro-Regem dixit ANNO MDCXLVI. die XXIII. Sept. Namque hæretici cum Societatem JESU exilio mulctandam, tribus duntaxat coloniis relictis, incondito clamore peterent, *Dráskovicsius* ultra verborum officia tuiturus Religionem, Societatemque, præsenti animo, ac generosa manu capulum ensis apprehendens ajebat: *se capitis etiam periculum subire malle, quam iniquissimis eorum postulatis aliquando subscribere.*

Inito Magistatu in Illyricum se confert, longioresque moras, atque illa tempora patiebantur, trahit. Nonnulli Procerum ob privatas simultates perinfensi Palatino, querelarum occasionem nacti, rem deferunt ad Ferdinandum, qui eum continuo in Hungariam revocavit: utque viro de Croatia, Hungaria optime merito gratiam exhiberet, Ovárienſem agrum cum arce, numeratis solum bis centenis millibus Regio ærario, ad decennium possidendum dedit. At diu non licuit frui Ferdinandeo favore. Nam cum festas inter populi acclamationes, ac machinarum mugitus Ovárinum inducitur, morbo paucis post hebdomadis contracto, octavo Non. Augusti ANNO MDCXLVIII. vivere desiit. Medicata potione sublatum scribit Rattkájus per æmulorum invidiam: qua in re insignem genti nostræ injuriam inurit, quæ ejusmodi peregrinas artes omnino ignorat. Cadaver Posonii in æde S. Martini Mausolæo suorum Genitorum illatum, impensis in funebrem pompam decies mille florenis.

Reliquit Hæredes fortunarum filios duos, tres filias, & conjugem Barbaram de genere Turzonum, quam suis precibus ad veterem sacrorum cultum, ejurato Luthero reduxit: qua pietate Nicolaum Eszerházium expressit. V. Matrem secundum DEUM singulari Religione veneratus, illi amorem prisco Hungarorum more, omniaque clientis officia impendit. Ut primum Hungariæ Pro-Rex datus, ad Thallensem Virginem a prodigiis claram invisit, purgatis sacra exomologesi nævis, ac synaxi refectus a Mariana pietate Mariani Regni Magistratum capessivit. Preces Dei-

paræ

paræ ſacras e latino in Hungaricum a ſe per otium verſas, ut Poſonii typis ederet P. Némethius Soc. J. ſuppeditato ære commendavit. Ne hæreſis in Croatiam reciperetur, princeps Author in comitiis erat: nec dubitavit palam aſſerere: *ſe potius cum Illyricis Regnis ab unione Coronæ Hung. ſeceſſurum, quam illam animarum peſtem, ac certiſſimam Reipubl. labem ſub Banatu ſuo videre Croatiæ inductam.* Vide *P. Martinum Szentiványium Parte I. Dec. III. Cat. LXXVI. pag. 171.* A.C.

PAULUS I. PALFFI

AB ERDŐD AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XC.

Sub Ferdinando III. Anno 1649.

GRandem in Dráskovicſio jacturam magna *Pálffii* indoles temperavit; qui clarus natalibus, inter tot nomina Heroum gentis ſuæ minime delituit, ſed naſcendi conditionem accumulans meritis, ut Hungariæ, Regioque Palatio tantus naſceretur, prope fata coegit. Ortus Patre clariſſimo Nicolao (in commentariis Genealogicis Pálffianæ Familiæ hic Nicolaus II. appellatur) cujus fortitudinem in bello probatam Iſtvánffius rerum Hungaricarum Scriptor, VII. libris complexus, ſeris poſteris non ſine Pálffiorum laude transmiſit. Ad calcem L. xxv. ait. *Alterum e ſuis cubiculariis officio Comáromienſis præfecturæ eodem fere tempore* (Cæſar) *cohoneſtavit acerrimo judicio electum, Nicolaum nempe Pálffium; quem niſi paucos poſt annos invida Pannonico nomini fata, in ipſo ætatis, & juventæ vigore immatura morte extinxiſſent, ad abſoluti, ac omnibus numeris conſummati Ducis nomen, famamque perventurus eſſe putabatur, ſicut id ipſum rebus præclare, fortiterque geſtis, tam apud Cæſarem, quam labantis patriæ cives, popularesque ſuos, atque apud omnes mortales teſtatiſſimum reliquiſſet, ſi longior ei vitæ curſus ſuppeditaſſet.*

Dignus hoc encomio, & pro meritis parce admodum laudatus. Vix etenim militiam auſpicatus, ſuo ductu ad Albam Regiam Iſacum copiarum Præfectum fudit. Fülekum oppidum armata manu, arcem paucos poſt dies deditione accepit: eodemque ardore Szécſenum, Dregulum, Palankam, Neogradum hoſtium præſidia admoto terrore expugnavit. Ad Jaurinum caſtra Sinanis aggreſſus tria millia Turcarum cædit: ni vulnus prope talos inflictum Nicolaum pugna extraxiſſet, ipſa caſtra in poteſtatem veniſſent.

A.C. Párkanum incredibili auſu uno impetu cepit, mox a Mansfeldio aureo torque virtutis ergo donatus: dein Strigonium XIV. millibus hoſtium cæſis deditur. Ad Kereſztes bis Ottomanos profligavit auſpiciis Maximiliani, deletis XX. millibus. Jaurinum denique cum Principe Schvarzenburgo hoſti eripuit. Quo quidem facto univerſæ Europæ plauſum intulit: quanquam nonnullorum Scriptorum incuria dicam? an invidia tantæ victoriæ neque particeps nominetur. His atque aliis facinoribus quamplurimis patratis, ab eodem Iſtvánff. L. XXXII. elogium obtinuit, quamdiu hiſtoriæ honos habebitur, duraturum. *Pálffius primo veris initio a Principe Mathia ad conſultandum de progreſſu belli, & de ejus ad Tranſylvanicam gubernandam profectione vocatus (ea enim provincia decreto Cæſaris, niſi mors, ultimus rerum terminus prævertiſſet, ei decreta erat) quum Vienna domum rediiſſet, in repentinum, gravemque morbum incidit, ac quinto poſt die vi ejus extinctus fuit,* (MDC.) *quum nondum L. ætatis annos exegiſſet, &c.*

Hoc, inquam, Patre clariſſimo ortus *Paulus*, meruit, ut virtute ſua per omnia honorum ſubſellia primum a ſummo in Repub. culmen nanciſceretur. Militiam more Majorum ſecutus, unius legionis Ductor ſeu aperto Marte concurreret, ſeu muros impeteret hoſtiles, non minus feliciter impugnationes, quam in acie prælia ceſſere. Non hæſit inter tenebras tam illuſtris magnitudo viri, ſed ad Aulæ provecta ſplendorem, in Pincernas, dein cubiculum Regium, jus ſupremum adeptus eſt: ſubinde Regii diadematis Cuſtos renunciatur. His in muneribus cum laude verſatus, pulcherrima conſilia animo volvit, quibus & nomini ſuo quam optime conſuluit, & civium felicitati. Erectam a Pázmano Academiam Tyrnavienſem totius Hungariæ bonarum artium emporium vidit: atque ut novæ literatorum coloniæ cum ſpe prolatandæ divinæ gloriæ in plura oppida ducerentur, facta conſultatione ANNO MDC. XXXVI. cum eodem Archi-Epiſcopo, Nicolao Eſzterházio Pro-Rege, Georgio Lipajo Regni Cancellario, effecit. Ultra conſilia progreſſus, artium Magiſtros pro facultatibus adjuvit. Athenæi Tyrnavienſis Annales, beneficii memoriam a *Paulo* accepti hodiedum recolunt; & niſi Eminentiſſimi Conditoris pietas, facultatem ademiſſet, novo illi propugnaculo Religionis plura attribuendi; alterum in *Paulo* Pázmanum memoriæ prodidiſſent.

Dum Religionem, remque literariam in Patria *Paulus* provehit, extinctus Joannes Drugeth de Hommona, Judicum Curiam faventè Ferdinando III. eidem aperuit ANNO MDCXLVI. die VI. Febr. Non nemo hunc Pauli Magiſtratum ad annum inſequentem rejicit, uti & Palatinatum Joannnis Dráskovicſii, fortaſſe in errorem abductus clauſula Decretorum ANNI MDCXLVII. veluti eo primum anno his præfecturis admoti fuiſſent. Verum diploma Ferdinandi, quo Jaurinenſis urbis privilegia rata habet, meam opinionem firmat. Extrema illius ſunt. *Datum per manus fidelis noſtri nobis dilecti, Reverendi Georgii Szelepcséni electi Epiſcopi Veſpri-*

Veſprimienſis, locique ejusdem Comitis perpetui, & Conſiliarii noſtri, ac per dictum Regnum noſtrum Hungariæ Cancellarii in arce noſtra Poſonienſi, die XIX. menſis Octob. Anno Domini MDCXLVI. Reverendiſſimis, ac Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis Georgio Lippai de Zombor Eccl. Metrop. Stigon. & Joanne Telegdy Coloc. & Bácſien. Eccleſiarum canonice unitarum Archi-Epiſcopis, &c. Item Spectabilibus, & magnificis C. Joanne Dráskovics de Trakoſtyán, præfati Regni noſtri Hung. Palatino, C. Paulo Pálffi de Erdôd Judice Curiæ noſtræ Regiæ. Reliqua nomina Antiſtitum, & Procerum eadem omnino ſunt, quæ ad calcem Decretorum ANNI MDC. XLVII. reperiuntur. A. C.

Triennio poſt, cum Joannes Dráskovicſius munere ſuo, & vita defunctus eſſet, Rex Ferdinandus Ordines, & Status Hungariæ Poſonium evocavit. Prima cura Patribus inſedit Palatinum deligendi. Quaternos candidatos: C. Paulum Pálffium, C. Adamum Forgácſium, B. Sigismundum Lonyaium, & B. Ludovicum Nyárium Cæſar ſua manu deſcripſit, annuloque ſuo ſignatas literas, C. Martinizio Bohemiæ Cancellario ad comitium perferendas dedit. Georgius Lippajus Metropolita iis reſignatis pauca de Candidatorum dotibus diſſeruit. Tum ordines in ſuffragia ivere. Omnium calculi *Paulum Pálffium*, qui jam retro actis temporibus legum peritia, Imperatoriis artibus fuerat, nominarunt potius, quam legerunt Pro-Regem. 1649

Quid vero egerit in hoc ampliſſimo Magiſtratu? ne quæſiveris. Quinque annorum decurſu civem in pace continuit; veterem ſacrorum cultum Marianus Atlas in patria ſuſtentavit; ſacrum Regis nomen integerrima, id eſt Pálffiana fide coluit. Indignari hic poſſes Annalium Scriptoribus, qui facinora *Pauli* prætereunt: contenti Regum geſta chartis illinere, quaſi ſoli Reges in ſcenam prodire, ac plauſum mereri deberent.

Et Philippus quidem IV. Hiſpan. Rex, æquiſſimus rerum cenſor, præconem laudum egit, unaque Scriptorum ſilentium aureo Vellere retexit. Quippe ultra patriæ limites porrexerunt ſe *Pauli* virtutes, & magnum Monarcham ad rarum illud decus ſummo in Repub. viro mittendum impulerunt. Rurſum itaque in ſtirpem ſuam Velleris aurei ornamentum felicior Hungariæ Jaſon intulit: ut vel inde Poſteri metiantur Pro-Regem: in quo ornando, quaſi Hungaria non ſufficeret, extera Regna laboravere. 1650

Satis jam naturæ, ſatis patriæ, Religionique vixiſſe videri potuit. Mori ante non debuit, quam nobiliſſimas arces, Poſonienſem, & Rubram (Vörösků) magnifico ſplendore educeret: quarum unam ſacrum Hungariæ diadema incolit; alteram Ferdinandus III. Imperatoria Majeſtate cohoneſtavit. Reliquit in illis perennem ſui memoriam, civibus, advenisque Pálffianam magnitudinem infra invidiam oſtenſurus. Sed ne pro patria modo, non item cœlo egiſſe eum credas, dedit operam; ut ne templis cultores, cultoribus templa deeſſent. Malaczkæ in oppido RR. PP. Or-

A. C. dinis Seraphici cœnobium numeris omnibus absolutum locavit; sacram ædem e suo adjecit; ut quoties Patres ad aras litaturi sunt, toties beneficio *Pauli Pálffi* se pios esse recordentur. Obiit ANNO MDCLIV. ingenti sui relicto desiderio: Malaczkæ Mausolæo impositus, quod sibi, ac Posteris condidit Pater patriæ.

FRANCISCUS VESSELENYI

DE HADAD, ET IN MURANY,

AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XCI.

Sub Ferdinando III. & Leopoldo Magno Anno 1655.

Vesselényius nobili loco apud Hungariam natus, nulli facile consilio, excellenti prudentia, agendi dexteritate palmam reliquisset, nisi a Leopoldo Rege seu aliorum consiliis, seu Conjugis lenociniis in diversa raptus studia, ante paucos vitæ dies desciviſſet. Calvino addictus, Pázmani opera errores exuit ANNO MDCXXIII. Generosa indole in campum allectus, arma arripuit, quibus præter victorias de barbaro relatas, honores, & Comitis titulum a Rege Ferdinando tulit. Hoc beneficio obstrictus Cæsari, seniorem Rákoczium e Transylvania prorumpentem ANNO MDCXLIV. retrusit: Murányam arcem milite, annona, & natura loci probe munitam, atque Rákocziana factioni deditam, expugnata prius nuptiarum spe Maria Szécsia, quæ loco præerat, non tam Regi, quam sibi subjecit. Ferdinandus quippe delectatus viri ingenio, ac fortitudine, arcem illam cum municipiis jure perpetuo Vesselényianæ Familiæ possidendam transcripsit. Ex hac rupe per varios honorum gradus ad amplissimam in Hungaria dignitatem pervenit. Superiori Hungariæ ANNO MDCXLVII. præfectus, octennio civium quieti consuluit.

1655 Extincto interea C. Paulo Pálffio, Ordinibus novum Palatinum flagitantibus ut faceret satis Ferdinandus III. in conventu Nobilium ab inauguratione Leopoldi I. in Regem, percelebri, nominatis tantæ rei candidatis *C. Francisco Vesselényio*, C. Stephano Csáki, C. Stephano Tökôli, & M. D. Rédei, *Vesselényius* Optimatum suffragia accepit, ac postea ab Rege confirmatus.

1660 Ad hostes propulsandos subinde versus, qui superiorem Hungariam fœdum in modum evastarunt, collecto ex Hungaris exercitu cum Duce Schoucheſio, sive Susa Varadinum petit. Fatigave-

verant illud obsidione Aly Bassa Temesvárienſis cum Bárcsaio Prin- A. C.
cipe Transylvaniæ, & Achmete Budenſi. Præsidiarii etsi numero perpauci, spretis Palatini auxiliaribus copiis, urbem propugnandam suscipiunt majori animo, quam fortuna. Namque Turcæ derivata e fossis aqua, actisque aliquot cuniculis, spem servandi præsidii ademerunt. Post septem, & quadraginta dierum oppugnationem, ac defensionem acerrimam nobilissimum Hungariæ præsidium hosti deditur VI. Cal. Sept. nulla utique culpa Pro-Regis. Vide *Joannem Betlen eorundem temporum æqualem Historicum L. III. rerum Transyl. & Historiam M. Leop. L. II.*

Expeditione peracta ob hyberna Germani militis simultates 1662
non leves *Vesselényium* inter, & Susam ortæ sunt. Forte uterque Viennam excurrerat. Susa prior ad eum invisit, adhibitoque conciliatore, viro præcipuo amicitiam ad speciem ineunt. Montecuculus e Transylvania cum copiis Cæsareis redux, pariter hybernorum causa molestias haurire debuit. An *Vesselényio* authore? affirmare non ausim. Eodem anno comitia Posonii celebrata variis studiis fervebant: Heterodoxis provinciarum Legatis, templa sibi ab ANNO MDCLIX. erepta, ad unum omnia restitui magna contentione postulantibus. Iniquissimis postulatis Clerus Hungariæ, ut debuit, adversatus est. Pro-Rex etiam lachrymis obtestatus Legatos ut ne privata publicis antehaberent, partium odia in ruinam patriæ olim emanatura ponerent; æs ad bellum Turcicum prosequendum conferrent. Valuit authoritas Pro-Regis, neque rebus omnibus infectis, neque ordines clam, & insaluto Cæsare se subduxerunt, cum extent leges LV. iis in comitiis decretæ. *Vesselényius* ob isthoc præclarum studium per Leopoldum coram frequentissima Regni Nobilitate aureo Vellere ornatur, in peregrinam Equitum gloriam translatus.

Anno altero Ujvárinum per Turcam deditione acceptum, Hun- 1663
gariæ, Palatinoque solicitudinem non mediocrem attulit. Defensabat illud Adamus Forgácsius, cui Pio, & Grana Marchiones, & Locatellius Baro adjuncti. Si miles parem Duci constantiam habuisset, profecto diutius hostium conatus elusisset. Palatinus Forgácsii causam apud Regem fortiter non minus, quam feliciter egit; deditionem Ujvárini in militarem seditionem, pulverarium incendium referens. Leopoldi sententia & Forgácsius, & reliqui Præfecti innoxii declarati.

Ujvárino Cæsar novam munitionem, Leopoldopolim, objecit. Cujus primum lapidem solemnibus cerimoniis Pro-Rex in fundamenta misit in præsentia Souches Mareschalli, Szelepcsénii Aulæ Cancellarii, & numerosæ Nobilitatis. Sub idem tempus cum Croatia, Hungaria bello Turcico arderent, *Vesselényius* datis ad provincias literis Hungaros ad arma capienda evocavit. Minora prælia ad Parkanum, & Ujvárinum felici Marte patrata cunctantes in arenam provocabant. Sub signa magno numero collecti, pars in Croatia, pars in Hungaria cum hoste manus conseruerunt

varia

A. C. varia fortuna. Tandem ad S. Gothardum immani clade attritis Ottomanis ANNO MDCLXIV. ac eodem anno pace confecta, Hungari campo excesserunt.

1667 Dum ad Regni salutem incumbit *Vesselényius*, aliquanto post maculam suo nomini inussit, & felicem rerum telam abrupit. Neosolium sub specie *Extra ordinariorum Judiciorum* Proceres juxta, ac nobiles numerosi confluxerant. Eo in loco cum semna quædam civilium bellorum, jacerentur: ipse quoque turbine illo involutus, a Regiis partibus descivit. In aquis Trenchinienſibus MDC. LXV. num Rákoczium, Zrinyium ad similes molitiones impulerit? e Scriptoribus rerum Hungaricarum colligere haud licuit. Memor tamen beneficiorum ab Austriaca Domo acceptorum, damnatis consiliis, orsam conjurationis telam retexere, Regique detegere concupierat. Sed vota desideria hæserunt. Nam gravi morbo, aut potius animi mœrore paucos intra dies dejectus; id quod magnopere avebat, facultatem perficiendi non reperit. Denique Maria Szécsia conjux, quæ maritum pro arbitrio omnem in partem versare didicit, boni ignis scintillas sopivit, subinde fatalis necessitas eodem ANNO XXVIII. Martii Teuto-Lipcsæ penitus extinxit. Si ultima primis in *Vesselényio* conferas, ludibrium rerum humanarum facile agnosces. Cæterum diei serenitatem non metimur ab occasu: nec continuo tota hominis vita acerbo stylo perstringenda, si semel lapsus.

Fuit vir militiæ apprime gnarus, Religionis propugnator acerrimus, Sociis J. addictissimus, quos Ferdinandus III. Rex literis ad eum datis majorem in modum commendavit; Virginis Deiparæ cultor eximius. ANNO MDCLVII. Universitas Tyrnaviensis se voto obstrinxit de propugnanda sententia: *Virginem Matrem omnis maculæ, ac labis hæreditate ad cæteros Adæ posteros devolutæ, expertem esse; Vesselényio* negotiorum causa, rerumque ignaro alibi agente. Doluit id vehementius piissimo Pro-Regi, affirmavitque *præiturum se, si adfuisset, suaque omnia immaculatæ Virgini devoturum.* Tanta Pietas Mariana nævos, quos plurimos a morte aspergere conantur, facile apud æquos rerum censores delebit. At infelix Szécsia vidua superstes pœnas dedit. Cum in arce Muránya MDCLXX. ignibus missilibus vinci non posset, a Principe Lotharingo Carolo verbis expugnantur. Conjecta in vincula cum Francisco Nagyio arcanorum conscio, Viennamque transmissa, in carcere contabuit, facultatibus Regio ærario illatis.

Suppressa tantisper conjuratione per mortem Vesselényii, Leopoldus multa consultatione egit, malis suis ut eriperet Hungariam. Plurima in hanc rem cogitanti succurrit: non quidem antiquata Palatini dignitate, verum ad tempus intermissa, Locumtenentem more superiorum annorum constituere. Itaque *Georgium Szelepcsényium* Archi-Episc. Strigonienſem interrupta Palatinorum serie suum per Hungariam Locumtenentem jubet ANNO MDCLXVII. virum supra vulgus Præsulum a sapientia, authoritateque Europa

tota

tota notiſſimum. Nam quidquid a Regibus, extra, intraque Hun- A.C.
gariam agebatur, agebatur id de ſententia *Georgii*, tanquam ſanctiſſimi Oraculi. Multus erat in Repub. Eccleſiaſtica, multus in profana pro muneris ſcilicet ratione. Septennio fere, quo Regis Vice, Hungariam moderabatur, advigilavit, ne flamma conjurationis ſub cineribus gliſcens erumpat. Verum fatale malum omnes conatus eluſit, atque in apertum incendium evaſit. Lectoris feſtinationi conſulturus, & ne filum narrationis interrumpam; non commemorabo hoc loco præſtantiſſimi Præſulis facta, cum ea alioquin in *Archi-Epiſcopis Strigonienſibus* retulerim.

Vivente etiamtum *Georgio Szelepcsényio*, Rex Leopoldus Gaſparem Ambringenium Teutonicorum Equitum Magiſtrum, in animos Hungarorum, ut putarant, mirifice factum, *Gubernatorem* Hungariæ nominat abrogata *Locumtenentis* dignitate. Verum hæc Reipublicæ mutatio celerius cæpta, quam conſtantius ſervata fuit. *Szelepcsényius* ſententiam rogatus, graviſſima oratione dehortatus eſt Leopoldum, ut ne veterem Reipub. formam mutaret. Multa pro ſe, multa pro Repub. Hungarorum attulit argumenta. Sed apud Regem propoſiti tenacem nihil evicit. Itaque Ambringenius Hungariæ Gubernator ANNO conſequente hoc eſt MDCLXXIII. Poſonium advolavit. Inauguratio nulla ſinceræ lætitiæ ſignificatione eadem in urbe peracta eſt die XIV. Martii.

Vix capeſſiverat Magiſtratum, cum Nobiles perinde, ac plebs novum hominem aſpernari cæpit. *Ægerrime*, inquit Hiſtoria M. Leopoldi, *tulere Hungari, vetuſtiſſima dignitate, ab D. Stephano, in plebis patrocinium conſtituta dejici; in capita, & fortunas omnium ad exterum hominem ſummum jus deferri; ſolam ſeu ſervitutis, ſeu abjectæ tolerantiæ gloriam civibus relinqui; ſi ad principia ignavi conticeſcerent, aliis deinceps moribus, legibus aliis vivendum, &c. quiritantibus reſponſum: meminiſſent, quantum omni ævo turbarum* PALATINI *nomen in Hungariam invexerit: Regis eſſe, quæ noxia Reipub. diuturno uſu comperta ſint, recidere; pro temporum ratione, Magiſtratum, legesque accommodare.* Sed non propterea ſuum dolorem digeſſere Hungari, nec turbæ ſopitæ.

Ille interim ſummo ſtudio in adminiſtrationem incubuit. Vien- 1675
næ cum primoribus Hungariæ de reſtituenda in integrum pace agebat. Vetus illud occinitur: pacis rationem fore nullam, niſi abrogato Gubernatoris nomine, Palatinus ex Hungaris creetur. Denique quidquid moliretur bonus Ambringenius, gentem Hungaricam ſibi devincire non potuit, ut non tam ad regendum populum dimiſſum crederes, atque ad ferendas injurias, quas cum amici, tum hoſtes non ſegniter inferebant.

Non concoxit hæc ludibria vir imperare aſſuetus. Solum opportunitatem ſpectavit, Gubernatoris munere ſe abdicandi, quam bellum civile, & lues Hungariam depaſcens obtuliſſe videbantur. Ergo non invito Leopoldo Mergenthalium Franconiæ in tutiora ſecedens, inviſum Hungaris imperium ſecum aſportavit ANNO

A. C. MDCLXXXI. Adeptus præfecturam ſupremi *Capitanei* Sileſiæ, triennio poſt ſupremum vixit.

De Curia decedente Ambringenio, cum nihilo quietius Regnum eſſet, turbæque e turbis identidem naſcerentur; neque alia via reducenda videretur Hungaria, niſi Palatino creato, e Republica fore exiſtimavit Rex Leopoldus, comitia Sopronienſem in urbem cogere, in quibus Paulus Eſzterházius communi patriæ ſalute Palatinatum reſtituit, cujus res geſtas jam nunc dicturus ſum.

PAULUS II. ESZTERHAZI

DE GALANTHA

S. R. I. PRINCEPS,

AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XCII.

Sub Leopoldo I. Joſepho I. Carolo VI. Anno 1681.

Paulus Eſzterházius rebus ſago, togaque geſtis, priſcis Hungariæ Heroibus haud immerito conferendus, Patriam, & genus ſuum, Mariana pietate, fide in Reges, ſapientia, novis honorum titulis, unus omnium maxime illuſtravit. Kis-Martonii VII. Idus Sept. ſuperioris ſæculi quinto, & trigeſimo anno primam lucem ſubiit, ut ipſe ortus omen daret futuræ vitæ, quam perpetuo honori Mariano, ut infra videbimus, totam quantam addixit. Patrem habuit magnum illum Pro-Regem Nicolaum Europa longe celeberrimum: Matrem Chriſtinam e Proſapia Nyária de Bedegh. Nutricum exemptus ſinu, innocenti morum candore, pietatis uſu, prona tamen ad militaria ſigna indole, ea latentis animi prodidit ſpecimina, quæ luculentis indiciis docuere, eum domi, militiæque virtutes paternas, ſecuturis annis aut æmulaturum, aut ſuperaturum. Vix octavum ætatis annum ingreſſus, bonis artibus applicitus, manſuetiores Muſas per ſolertiam ingenii ſic conjunxit ſeverioribus diſciplinis, ut editis in publicum libris dubium poſteritati fecerit, utra in arte præſtantior fuerit. Scientiis apprime ornatus, ut magnitudinem in flore ætatis oſtenderet exteris, peregrinas Regiones, non ſane ex hodierno quorundam genio, inviſit; quodve ad Rempub. recte gubernandam reperit, illud ſingulari ſtudio proprium ſibi effecit.

In Patriam poſtliminio reverſus, Fratre Comite Ladislao furore Barbarorum ad oppidum Nagy-Vezekén ANNO MDCLII. cæſo,

cæso, primo Sopronienſium ſupremus Comes, tum Ferdinandi III. A. C.
Regis Hungariæ Conſiliarius, denique præſidii Papenſis præfectura præter ſpem auctus; quod per ætatem tam arduæ provinciæ prope imparem ſe reputaret. Magnus vero Leopoldus Rex Hungariæ inauguratus Poſonii, Patris Ferdinandi favores proſecutus, *Paulum* a vitæ probitate notiſſimum, *Camerarium* ſuum jubet. Curiæ Regiæ Magiſter renunciatus, pulcherrimis virtutum ornamentis eo in munere adeo Leopoldum devinxit, ut ſupremum aciei ſtructorem denominarit ad ANNUM MDCLXIII. Tot honoribus intra decennium ornatus, ſuis impendiis Legione Hungarica conſcripta in arenam progreſſus, cum Nicolao Zrinyio Duce veterano, & partis victoriis clariſſimo, occupato præſidio Darda, cæſis internecione hoſtibus, celeberrimos Eſzekinenſes pontes plurium dierum opus paucas intra horas exuſſit. Hoc nobili incendio jam clarior *Eſzterházius* eodem cum Zrinyio ad Quinque-Eccleſias, & Caniſam impugnandam verſus, maximum vitæ periculum ſubiit. Res ab utraque parte majoribus machinis agi cœpta; forte accidit, ut fulminantis tormenti globus e præſidio Caniſæ, in caſtra, ubi *Paulus* cum ſuis ſtationem fixit, excuteretur, pileumque ardeatinarum pennarum faſciculo ornatum e Ducis capite eriperet. Potuit hic caſus militem terrere, non Heroem excelſi pectoris: qui nullo timoris ſigno, ſtrenue obſidionem urſit, militemque conſtantia vultus ad paria, vel majora ferenda incitavit.

Atque ut victorias ægrius incipias, quam continues, per eosdem dies caſtella Turcarum Segeſd, Bárcz, Turbek, Babocſam partim vi, partim deditione accepit: in ancipiti pugna ad S. Gothardum Duce Montecuculo, perutilem conſilio, & manu operam navavit, ut ipſe Leopoldus teſtatum fecit in Aurea Bulla, & diplomate, quo Titulum P. S. R. I. confert. *Et quanquam non pauci tuorum variis ex conflictibus deſiderarentur, tu tamen immoto animi robore perſtiteris, & quindecim præliis ipſe præſens victor ab hoſte receſſeris, atque inſuper etiam confinia quædam Turcico ſubdita jugo noſtræ ſubjeceris poteſtati, &c.* Quapropter ad *Generalis Antemontani Ujvárino oppoſitorum confiniorum* officium ANNO MDCLXVII. evectus eſt.

Non diu quieto licuit viro bellicoſo. Namque ſeditioſi ad bellum civile coorti ſuperioris Hungariæ Provincias fœdum in modum depopulantur. *Eſzterházius* collectis Hungarorum equitum legionibus cum Kopffio Germanorum Ductore eos ad Leutſchoviam aſſecutus, cæſis DCCC. reliquos in effuſam fugam conjicit. In Provincia Aba-Ujvárienſi ad pagum Győrkienſem rurſus acerrimo prælio concurrit. Preſſus numero, ac brachium glande plumbea trajectus dolorem non ante admiſit, quam privatum damnum publica victoria ſit ultus. Adeo nonnunquam plus virium addit cupiditas ulciſcendi, quam demit plaga.

Roborati acceſſione Emerici Tőkőlii, ut bellum pace com- 1618
ponerent, diu, multumque ſed fruſtra laboravit *Eſzterházius* cum

A. C. Forgácsio in Tyrnaviensi conventu sub ANNUM MDCLXXXI. cui uterque pari cum potestate præfuit. Hortabantur dissidentes, ne alienos se ab Rege ferrent: neu Hungariam populārentur suam. Neutrum a pervicacibus obtinuere. Neque id a Tökölio, Turcarum jam partibus addicto, impetrare potuere, ut Comitiis Sopronium indictis se interfuturum polliceretur; etsi *Eszterházius* filium suum securitatis pignore missurum se sponderet. Itaque cum nihil e sententia cederet Tyrnaviæ, datur Provincia *Eszterházio* publicis literis convocandi Proceres Sopronium, urbem tanto conventui tum vicinia, tum ædificiis haud imparem. Adfuere plerique Nobilium, pauci Tökölii authoritate subnixi, latuerunt in superiori Hungaria. Eo in Conventu ante Comites Joannem Kollonicsium, Nicolaum Erdödium Pro-Regem Croatiæ, Petrum Csákium candidatos, *Paulus Eszterházius* omnium Ordinum suffragia meruit pro ampliſſimo Regni Hungariæ Magistratu. Ratam habuit Leopoldus electionem, ob ingenium viri mirifice moderatum, ac lene, perspectam multis hactenus rebus prudentiam, ac fidem. E Comitiis redeuntem Viennam Cæsarem *Paulus* suo in castro Kis-Marton. Regio prorsus apparatu tota cum Aula excepit.

1682 Pro-Regiam dignitatem illustravit Carolus II. Hispan. Rex aureo Vellere misso, quod solenni, magnificoque splendore Viennæ accepit, his additis literis. *Mi cognate! ut electio personæ vestræ in charam Ordinis mei Aurei Velleris societatem peragatur, in eam adoptetur, ejusdemque Torque condecoretur. Intuitu laudabilium naturæ donorum, meritorum, atque servitiorum, cumque gratus animus vester sit mihi abunde notus; mandavi charo, & fideli nostro Carolo Mouboan Majestatis suæ Cæsareæ Secretario, ut idem munus peragat. Simulque rogo charissimum, & amantissimum fratrem, & avunculum meum Dominum Imperatorem ejusdem Ordinis Equitem, & Confratrem, ut vos in dictam societatem recipere dignetur, cum omnibus ceremoniis, & solennitatibus solitis. Casu quo dictus Carolus Mouboan, versus hanc Aulam jam in itinere redux comprehenderetur, placeat suæ Majestati Cæsareæ, alium ex suis Secretariis denominare, qui officio illo defungatur, eodem plane modo, quo actum est olim cum Marchione de Grana. His conformiter recipietis Torquem illum, & audietis (non secus ac a me ipso) quidquid sua Majestas meo nomine dictura est vobis, parique erit apud vos æstimationi, ac si ipse in persona loquerer, ac munus peragerem. Interim mi cognate, DEUS eum custodiat. Datum Madriti XXVII. Decemb. Anno MDC. LXXXI.*

CAROLUS.

1683 Eodem tempore Vezirius, & Tökölius, Hungariæ, Austriæque perniciem ultimam minabantur infinitis aucti copiis. Suas in partes Palatinum ut pertraherent, ingentia fecere promissa. Ille memor sui officii, in summa Reipub. perturbatione ita agebat, ut omnibus palam constaret: posse Pro-Regem intemerata in Regem

jux-

juxta, ac Patriam fidelitate inviolato obsequio, popularium com- A. C.
modis prospicere. Itaque certus tueri Leopoldi partes, adversus communem hostem tria Hungarorum mllia sub signa cogit. Verum enim vero dissipato Cæsareo exercitu, Viennaque arctissima obsidione cincta, dimissis legionibus in arcem Fraknensem se recipere coactus, ex qua amplissima sua municipia tristibus flammis evastari vidit. Inde per montes Styriæ a Tökölianis infestos difficili admodum itinere secutus Lincium Cæsarem Leopoldum, exilium circumferre, quam de constantia, fide quidpiam concedere, maluit. Quantum vero detrimenti suis in bonis acceperit, Leopoldus iterum testatur. *Rejectis, spretisque pollicitationibus illis æque, ac minis, neglecta etiam aliquot millium subditorum tuorum cæde, & captivitate, pagorumque & domorum devastatione, immensoque ac duos florenorum milliones excedente damno immobilis, & inconcussus, &c. aulam, sortemque nostram secutus sis.* Convolantibus ad liberandam Viennam Joanne Sobievszkio Rege Poloniæ, Ducibus Saxoniæ, Bavariæ, ac Lotharingo, *Eszterházius* quoque summis Ducibus immixtus Lincio advenit, fusisque Turcarum copiis victoriam orbe toto celeberrimam delibavit.

Hunc in modum felicitate Magni Leopoldi contusa Ottoma- 1686
norum ferocia, jam Strigonio, Vaczio, Pestho, Ujvárino expugnatis, obsidium Budensis urbis secundo decernitur Ducibus Lotharingo, atque Bavaro. Ad hanc defendendam Turcæ, quasi suam Carthaginem, animis conspirant. Hungari tot priscis Regibus nobilitatam sedem hostibus erepturi, militem, æs, annonam, classem large suppeditant. Enituit præcipue studium Pro-Regis, qui de suo conscriptas Legiones equitum, peditumque adduxit, datisque literis authoritate Palatinali, ac exposito prægrandi Nobilitatis vexillo, populares suos ad celeberrimum belli theatrum invitavit. Advenere frequentes. Hos inter Joannes Eszterházius Jaurinensis Præfectus cum tribus millibus peditum, Adamus Battyanius, Nicolaus, & Sigismundus Eszterházii, Nicolaus Dráskovicsius, Thomas Nádasdius, Joannes Pálffius, Franciscus Pálffius, Carolus Pálffius Magister equitum, &c. numerosa militum manu stipati: quibus accessere suis cum copiis, & signis frequentes per Hungariam provinciæ: omnium copiarum supremum imperium gerebat Palatinus.

Fama obsidendæ Budæ, quasi pro totius Europæ salute sacro bello pugnaretur, nobilissimas quasve gentes in Hungariam excivit. Jam diutina verberatione, & pulveraria tempestate disjecti muri invasionem suadebant. Ducum consilio VI. Cal. Aug. decreta irruptione; Pro-Rex brevi oratione cohortatus Hungaros, ut præsenti animo irruptionem adornarent, ac memores pristinæ virtutis glandium procellam fortiter in tanta æmulatione tot diversarum gentium exciperent. Mox XII. naves, (Saikas) Hungaro pedite oneratas Flumentanæ parti (hanc Hungari impugnandam susceperunt) admovet, utque e danubiana turri defensores pro-

A. C. pellerentur, ccc. fistulatores addidit. In altera parte duo millia peditum Hungarorum Pyrobolariis intermixta, plumbeam tempestatem, ac succensam pulverariam pestem tamdiu sustinuere, donec e Jaurinensi præsidio Hungarus, in tertia hostili turri Regium vexillum inter vulnera, & cædes Commilitonum fixisset; ac statione capta primus & metum, & fugam hosti intulisset. Nomen viri haud proditum: unde totum decus Joanni Eszterházio, e cujus nimirum Legione erat, cessit, cedetque imposterum. Ad latus vero flumentanum, etsi Palatinus cum reliquis Ducibus Hungarorum rem fortiter gesserit, tamen quod & numero majori Turcæ accurrerent, & sauciis integros continenter substituerent, & mœnia scalis insuperabilia forent, præter distentas hostium vires vix operæ pretium retulere.

Vezirius periculi propediem capiendæ urbis admonitus semel, iterumque, ac tertio aggressus nostros, toties cæsus est, ac in fugam conjectus, multum ad victoriam conferentibus Hungaris: qui fere quotidie secundum prælium equestre fecere. Tandem II. Septemb. invasa urbs, cæsis propugnatoribus Magnum Leopoldum victorem accepit toto terrarum orbe in gaudium effuso, posteaquam CXLV. annos Turcarum servitutem perpessa fuisset.

1687 In hac operosa expugnatione quamplurimis egregia cum laude functus periculis Pro-Rex, deinceps in toga Reipub. consuluit. Altero anno in frequentissimo Ordinum conventu, quo Josephus I. Hæreditarius Rex Hungariæ a Georgio Szécsenyio Archi-Episcopo Strigoniensi inauguratus, S. R. I. Principibus VIII. Decemb. Leopoldus adscripsit, & literam L, qua nomen Magni Monarchæ perpetuo ostenderet scuto, gentilitio adjecit. Tot beneficiis obstrictus Magno Imperatori, quoad vixit inconcussa fide a Domo Austriaca stetit, Patriæ commodis indefessus prospexit. Sive enim Saxo Elector ANNO MDCXCVI. sive Eugenius ANNO consequente exercitus in Hungariam ducerent, authoritate sua Provincias in fide continuit, neve defectus annonæ victoriarum cursum sisteret, sua providentia effecit. Josephi Romanorum, & Hungariæ Regis Hymenæum ornaturus cum Adamo Battyanio, Croatiæ Bano, DCCC. Nobiles ex Hungaris, Croatisque Viennam adduxit, venustate armorum, atque vestium ea solennitate dignissimos, quo studio Josephum jam ante in Hungaram gentem propensum, magis devinxere.

1701 Sed iterum ad tristitia seducendus lector. Franciscus Rákoczius, Francisci I. filius Nicolao Bercsényio homine rerum novarum avido, Villarii præterea Galli consiliis abreptus, Civile bellum meditabatur. Delatus Leopoldo Regi a Longevallio, quem cum literis ad Ludovicum Galliarum Regem temere expediverat; in custodiam Neostadium abripitur e castello suo Sárosiensi mense Aprili a Comite Solario, sed Lechmani Centurionis opera, eo die excubias agentis, libertati restituitur ejusdem anni VII. Nov. Mox e Polonia cum Bercsényio redux, sumptis armis Hungariam

fœdis-

fœdiſſimo bello involvit, quo Moraviæ, Auſtriæ, Styriæ non ſane A.C.
levia damnata illata, ſed præcipue Patriæ; & de induſtria confœderatorum, fortunis *Eſzterházianis:* in quas identidem ferro, atque igne ſævierunt. Tandem poſt multam utriusque partis cladem, eo evaſerant, ut Onodienſi in campo, celebrato conventu ANNO MDCCVII. non abhorrerent palam declarare, Joſephum multas ob cauſas jure Regni excidiſſe.

Pro-Rex, quo vindicaret Popularium quorundam apertam a Rege defectionem, communicato conſilio ſummis cum viris utriusque Reipub. Onodienſi Conciliabulo interceſſit, atque in publicum literas (manifeſtum) emiſit; quibus primum declarat: ſe more Majorum pro Regis ſalute & ſanguinem, & vitam ante fuſurum, quam factioni confœderatorum acceſſurum; quantumvis municipia in dies urerentur: deinde quidquid Onodini transactum, id pro poteſtate ſua damnare, ac publicis hiſce literis Europæ, qua late patet, palam facere. In Joſephi præſentia perlectæ, Authoritate Regia ut firmarentur; impetravit pro ſe, ac Nobilitate frequenti diploma Regium, in quo Joſephus Principem Paulum *Cognatum ſuum* appellat, ac illuſtres Hungariæ Familias longa ſerie enarrat, quæ perinde minas, ac blandimenta Confœderatorum averſabantur. In iis autem literis cenſebantur Archi-Ep. II. Epiſcopi Conſec. VIII. Non conſecrati XII. Barones Regni XI. Supremi ac perpetui Comites X. Non perpetui XVI. Capitula VI. Magnates alii XL. Liberæ, Regiæque Civitates XIII. Præterea Regna Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ cum ſuo Bano Excellen. C. Joanne Pálffio. Prolapſis ſubinde confœderatorum rebus, poſt triſtem Joſephi occaſum, viduas Imperii habenas moderante piiſſima Imperatrice Eleonora, opera C. Joannis Pálffi Mareſchalli pax coaluit ANNO MDCCXI. quam tot Duces, tot cruenta prælia perficere non potuere.

Pace confecta, ter fauſtus illuxit Hungariæ annus, quo Caro- 1712
lus VI. Poſonii Regia inſignia accepit. Palatinus pro muneris ſui dignitate ſumptuoſo cultu, nobili, ſplendidoque comitatu aderat, nullisque parcebat impenſis, quo inaugurationis majeſtatem augeret. Iſthic ſingulari perfuſus gaudio, dum coram videret Provinciarum Rectores, Arcium Præfectos, aut in ſummam Patriæ ſpem creſcentes, Alexandrum, Antonium, Caſparum, Franciſcum, Joſephum, Ladislaum, Michaelem, Paulum, Petrum ſeniorem, junioremque, &c. Eſzterházios, ſibi ſanguine, aut proxime junctos, aut diverſa prognatos fronde. Hoc qualecunque gaudium mirifice auxit Rex Carolus, quando Celſiſſimi S. R. I. Principis titulum *Pauli* Primo-genito, & ex hoc naſcituro, in perpetuum Regia ſane munificentia tranſcripſit. Noluit nimirum *Paulus* honorem eſſe temporarium, ſecuturi ut eodem fulgerent, meritis ſuis immortalibus providit. Nempe ſic ſunt magni Principum genii, ut ſeſe haud dignos exiſtiment honoribus, niſi cumulatioribus eosdem incrementis ad Nepotes transmittant. Hoc modo quin-

que

A. C. que ſummi Monarchæ Carolus II. Rex Hiſp. Ferdinandus III. Leopoldus I. Joſephus I. Carolus VI. in Principe *Paulo* ornando conſpiravere. Maximus Pontifex Innocentius XII. pariter optime de orbe chriſtiano meritum ſacro pignore, id eſt S. Conſtantii corpore honorificis verbis miſſo, donavit: quod noſtra etiam tempeſtate publicæ venerationi expoſitum vidimus in arce Kis-Martonienſi. Nec facile hic ſtatuas ſuane virtute? an tantis ejus æſtimatoribus *Paulus* amplius inclaruerit.

E Comitiis ad Caſtrum ſuum Kis-Martonienſe redux, rebus plurimis pro Patria, Religione, ac Celſiſſima ſtirpe præclare geſtis, gravem in morbum incidens, Regis, omniumque Ordinum luctu extinguitur MDCCXII. XXVI. Mart. ætatis ſuæ LXXXVIII. Cadaver Mauſolæo impoſitum apparatu magnifico, in præſentia frequentiſſimæ Nobilitatis, quod ipſe Celſiſſimus Princeps apud RR. PP. Ordinis S. Franciſci pro ſe, atque poſteris ſuis erexit. Tumulus marmoreus Principis in medio Mauſolæi in altum aſſurgit, verſibus omni ex parte conſcriptis, e quibus paucos adferre libuit.

HIC JACET ESZTORAS PAULUS PALATINUS, ET IDEM
IMPERII PRINCEPS CONDITUS IN TUMULO, &c.
BIS DECIES QUATUOR COMMISI PRÆLIA, NUNQUAM
VIDIT TERGA HOSTIS, SED TAMEN HIC JACEO, &c.

In fornice Mauſolæi, ad appenſum Hungariæ inſigne:

DILECTA HVNGARIA IAM VALE,
PAVLI AVTEM PALATINI RECORDARE.

Enarratis potiſſimum bellicis facinoribus, operæ pretium facturum me exiſtimo, ſi præclaras animi dotes, Marianam pietatem priſcis Hungaris parem Celſiſſimi S. R. I. Principis, carptim memoravero. Salutari timore, quem a teneris ſub diſciplina optimorum parentum hauſit, imbutus, ſupremum Numen caſtiſſime coluit. Pro ſuis facultatibus perbenignus in pauperes. Unde egenorum Pater pulcherrimo nomine audiebat. Impartiebatur in egenos, quidquid ampliſſimis fortunis decidi potuit; maxime in probos, quos vel hæreſi detraxit, vel pro viribus induſtria laborandi cum paupertate pugnare vidit. Ut literas ipſe, maxime Hiſtoricas, Poeticas, impenſe coluit, ſic etiam cultores earum perpetuo amore complexus eſt. Academiam Tyrnavienſem theatro magnifico MDC. XCII. ornavit mille florenum impendio. Comicas veſtes Venetiis comparatas liberali manu adjecit. Muſæ politiores, ut ne Mecænatem olim deſiderarent, jam ANNO MDCLXXIII. florenos mille numeravit. Sopronienſes pariter in arena literaria victores inſignem munificentiam adorant: quam in alia dum vixit loca frequenter, aut perpetuo propagavit.

Frak-

Fraknenſem arcem altiſſimæ rupi inſidentem, a magno Patre A. C.
Nicolao propugnaculis MDCXXXV. munitam, omni armorum genere *Paulus* inſtruxit, pulcherrimis adusque prodigium picturis exornavit. Dignum opus ſuis authoribus. Arx Kis-Martonii, quæ jure Europæorum inter ædificiorum prodigia numeranda, magnitudinem Principis loquitur. Cecidit Viſſegradenſis aula, cecidit Regia Corvini. Illarum ſplendorem hæc arx reduxit. Structuræ elegantiam intuitus MDCLXXXIII. barbarus (quamvis oppida Eſzterházianæ ditionis funditus evaſtaret) feritate poſita integram reliquit. Eminent in ea turres IV. in altum productæ. Unam æs campanum librarum ſeptemdecim millium, & quingentarum exornat: cui muſicum ſonum reddunt minores campanæ penſiles in altera turri. Tertia organum miræ magnitudinis oſtentat. Quarta denique piſcinam præfert. Palatium tota Europa celeberrimum pictorum penicillo, plaſtico, ac cryſtallino opere diſtinctum rapit oculos: cui modernus Celſiſſimus S. R. I. Princeps Paulus Antonius Eſzterházi mirabili opere conſtructum adjecit pontem, qui e palatio in hortum adſitum, hoſpitem tranſportat.

At quis numerum ineat, quot templa? quot aras? quot monaſteria excitarit? Baſilicam Tyrnavienſem, cui paucas in Hungaria pares videbis, a magno Patre ab imo poſitam, non minor filius MDCXCIX. opere plaſtico, picturisque abſolvit. Kis-Martonii virginibus DEO ſacratis domicilium, ac templum Divo Joſepho dicatum de fundamentis extruxit. Ordinis Seraphici RR. PP. extra muros civitatis Kis-Martonienſis clauſtrum, ac ſacrum montem Calvariæ Regia prorſus munificentia, ad omnium tum pietatem, tum admirationem Europæ excitavit. Landzerienſe clauſtrum Camaldulenſes ejusdem favore degunt. Plurimæ ſacræ ædes in Principis municipiis inſigne Gentilitium *Pauli* præferunt, ac conditorem loquuntur.

Virginis Deiparæ cultui a primis annis ad devexum usque ſenium addictus vixit. Hujus honori ſtatas preces quotidie dependit, quam avito Majorum noſtrorum ſtudio plane pro Domina venerabatur. Huic ille Tyrnaviæ, Viennæ laudes publica oratione quotannis conſtituit: hujus conceptum omnis maculæ expertem Celſiſſimus Theologus editis libris propugnavit. Icones B. V. non modo per Hungariam, annexasque provincias, ſed & per orbem univerſum a prodigiis claras, æri inciſas, patrio idiomate vulgavit. In pratis Marianis ejusdem honori ædem, quam Pater Nicolaus meditabatur, alter Salamon, *Paulus* ſtatuit. Fraknenſi in oppido RR. PP. Servitis domicilium; ac templum V. Deiparæ locavit. Kis-Martonii in arce Abbatiam cum templo cultui Mariano dedit. Cſeſtochovienſem, Cellenſem muneribus ampliſſimis excoluit. Ad hanc quotannis pedes inviſere ſolitus eſt. Aram ex argento fuſam addidit. Denique, ut paucis omnia; ut Auguſtus Cæſar Romam argenteam, ſic *Paulus* mihi millies laudatus, Cellas Marianas argenteas, aureasque reliquit. Neque eſt, quod mire-

A. C. ris tam munificum fuiſſe, ſi legeris, quod vir priſci moris apud animum ſtatuit, ac palam ſcripto teſtatum fecit. *Sciantque Filii, & ſucceſſores mei, me coram hac imagine* (eſt ea, quæ in pratis Marianis colitur) *quæ teſtis eſt juramenti mei, omnem quidem ſubſtantiam meam, aſt potiſſimum arcem Frakno, & omnia alia bona in genere, vel in ſpecie Beatiſſimæ glorioſiſſimæ Cælorum, terræque Reginæ MARIÆ reſignaſſe, bonorumque præ manibus meis habitorum uſu fructuarium, & non abſolutum Dominum me confiteri.*

Et ſenſit mutuo Dominæ potentis patrocinium. Die Natæ Virgini ſacrato primam lucem aſpexit: die ſine labe Conceptæ Virgini ſacro, S. R. I. Principis titulum obtinuit: die denique Annunciatæ V. dicato vivere deſiit. Illud magis luculentum. Ladislaus Ignatius Eſzterházius *Pauli*, ac Urſulæ Eſzterháziæ filius, vix in lucem editus, morti proximus erat. Abjecta medicantium ope, in Deipara ſpem locat ſuam: votum addit, ſtatuam argenteam Cellenſi Virgini poſiturum ſe, ſi malum remiſerit. Remiſit: monumentum accepti beneficii in præſens videtur. Papenſi in oppido in publica ſupplicatione ANNO MDCLVII. glande plumbea a nefario homine petitus, nullo accepto vulnere pietati indulſit Marianæ. Infinitus ſim ſi cætera aut beneficia, aut animi ornamenta perſequar, quibus famam ſuam æternitati conſecravit. Illud ad extremum commemorandum venit: Celſiſſimum Principem *Paulum* id ſingulari prudentia ad incrementum Familiæ ſuæ perfeciſſe, ne patrimonium plura in capita partiretur, ſed Hæres omnium fortunarum is foret, cui naſcendi ſors primum locum attribueret.

Succeſſit itaque ampliſſimo patrimonio, *(Majoratui)* MDCC. XIII. *Michael* S. R. I. Princeps, Filius Pro-Regis Pauli, & Urſulæ Eſzerháziæ, cui ſe Paulus ſacro Eccleſiæ ritu, venia ſummi Pontificis innexuit. Longum elogium nactus eſt in eodem Mauſolæo, cujus initium, & finem damus:

CELSISSIMUS S. R. I. PRINCEPS MICHAEL ESZTORAS DE GALANTHA, PERPETUUS COMES IN FRAKNO, COMITATUS SOPRONIENSIS SUPREMUS, AC PERPETUUS COMES, SACRÆ CÆSAREÆ, REGIÆQUE MAJESTATIS CONSILIARIUS, CAMERARIUS, ET PER REGNUM HUNGARIÆ CURIÆ REGIÆ MAGISTER. OBIIT ANNO SALUTIS MDCC. XXI. DIE XXIV. MARTII.

SISTE VIATOR
FUNUS HUIC TUMULO ILLATUM
VIRI PRINCIPIS EST MICHAELIS, &c.
ET JUNGE LACHRYMAS MŒSTISSIMÆ CONJUGI
ANNÆ MARGARETHÆ NATÆ MARCHIONISSÆ DE SANA,
QUÆ AMORES SUOS UT ÆTERNOS FACERET,
HUIC MARMORI INSCRIPSIT
ANNO MDCCXXVIII.

Mi-

Michaeli ſucceſſit *Joſephus* S. R. I. Princeps; Filius Pauli Pro- A. C.
Regis, & Evæ Tőkőliæ de Kismárk, ſecundæ Conjugis Pauli. Sed paucis poſt diebus Principatum amiſit, & vitam. In Mauſolæo breve Elogium, ut breve regimen, nactus eſt:

HACCE JACENT TUMBA GENITOR, GENITUSQUE SEPULTI
ESZTORADES PAULUS PRINCEPS: SUBJUNCTUS JOSEPH
A. XXVI. MARTII ANNI MDCCXIII. † A. VI. JUNII. ANNI MDCCXXI.

Poſt fata Joſephi, Celſiſſimus S. R. I. Princeps *Paulus Antonius* Majoratum obtinuit, Filius Joſephi Principis. Humanioribus, ac ſeverioribus expolitus diſciplinis, exteras inviſit provincias. Redux in Hungariam Hæreditario jure MDCCXXXIV. die IV. Dec. munus Supremi Comitis provinciæ Sopron. non ſine magnifico apparatu ſuſcepit. Anno altero in Lotharingiam profectus, in thori ſociam accepit Mariam Aloyſiam Principem, e Marchionum de Lunatis, & Viſconti Proſapia. Biennio poſt expeditioni Hungaricæ adverſus Turcam miles interfuit. Ordini Equeſtri Aurei Velleris accenſus, & Regiorum Cubiculariorum Magiſter renunciatus, ANNO MDCCXLII. legionem equeſtrem Hungaricam ſuo ære conſcripſit, ſuoque ductu ſeptennio hoſti oppoſuit. Nunc, dum hæc ſcribimus, in Aula Neapolitana Legati munus non minus ſolerti, quam felici induſtria obit. Sed in viam redeamus.

NICOLAUS XII. PALFFI

AB ERDŐD

AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ XCIII.

Sub Carolo VI. Anno 1714.

QUa fortitudine, ſcientia militari, Scipionum, Deciorumque ſtirps olim inclaruit, ea Pálffiana Domus apud patriam noſtram fulget. Dederat illa fortiſſimos milites Reipub. qui auderent hoſtem aggredi, ac *vitam pro libertate paciſci:* hæc quot ſurculos Hungariæ oſtendit, totidem Triarios, totidem Duces exercitibus dedit, quibusvis victoriis referendis pares; quaſi in unam Pálffianam ſtirpem bellica virtus tributaria tranſiiſſet. Et *Nicolaus* quidem hoc nomine VI. inter Pálffios (cujus nimirum res geſtas attingimus)

A.C. Nicolai II. Pálffii militarem gloriam in ſe expreſſiſſet, niſi Patriæ moderandæ admotus, civium ſalutem in toga procuraſſet. Natus Cal. Sept. MDCLVI. Patrem habuit Nicolaum IV. conſtanti adverſus Tökölii turbas in regem obſervantia; Matrem Eleonoram Carolo Comite Harrachio, & Franciſca Eggenbergia Principe genitam. Poſita prætexta ad Manſuetiorem traductus Palladem, optimas artium diſciplinas Tyrnaviæ, Poſoniique excepit.

Deterſo ſcholarum pulvere, majora, id eſt paria ſibi aggreſſus, ferrum arripuit, quo contuſa Turcarum ferocia, Majorum victorias illuſtriores fecit. Sic abſtractus a mollibus deliciis tantum abeſt, ut ab armorum ſtrepitu, ab arena Martiali abhorruerit; ut etiam charitate Patriæ in aperta vitæ diſcrimina ruere geſtiverit. Militum ſermone, quibuscum vitam ſub papilionibus egit, celebratur eum crebrius uſurpaſſe: malle ſe plumbeas inter glandium procellas, manus conſerere, quam parta victoria otio quodammodo marceſcere. Nactus eſt vero cum in Imperio, tum in Hungaria campum uberrimum expromendi bellicam fortitudinem.

Eugenius Dux Croyus Taurunum omnibus viribus impugnandum ſumpſit ANNO MDCXCIII. præſidiariorum virtus in ſummas anguſtias Cæſareum exercitum conjecit, crebrisque procurſionibus ſtragem in milite operis intento impune edidit; donec *Pálffius* ſuo ductu barbarorum ferociam, plurimis eorum cæſis, intra mœnia compreſſit. Male mulctati hoſtes, nec auſi procurrere, defenſionem ignibus ſtrenue parabant. Fortuita glande plumbea ſtrato Keyſersfeldio operum Magiſtro, prope erat, ut ferrea pila grandioris machinæ diſcerptus, *Pálffius* ipſe caderet, niſi Superum providentia columen illud Patriæ ab interitu vindicaſſet. Adeo non ex vano obſervatum, curæ eſſe ſupremo Numini Heroum vitam; quaſi non magis cordi in homine, quam Ducibus in exercitu noviſſimum mori datum ſit.

Nec illud hic prætermiſerim, ex quo magnitudinem *Nicolai* recte metiaris. Lethali affectus vulnere, dum lectiſſima conſors e Baronum de Vaichs illuſtri juxta, ac nobili genere oriunda nihil ciborum in ſumma annonæ penuaria a plebe ruſtica impetraret, ſolum repoſuit: *Hoc etiam qualecunque miſeriarum genus, lubens pro Cæſare, ac Rege patiar.* Clariſſimos Romanorum imitatus, quorum animis infixum: *& facere, & pati fortia.* Vulnus tamen alte inflictum, virum bellicoſum caſtris detraxit, & Reipub. Hungaricæ perpetuum cuſtodem donavit: cujus deinde excellenti prudentia, conſiliis ſaluberrimis, inconcuſſa nullo non tempore florebat. Et poterat ſibi maxima polliceri Patria, quando virum arduis quibusvis rebus parem, ac Cæſarum favoribus innutritum accepit. Leopoldus ob ſingularia ornamenta animi, ſupremum Campi Mareſchallum, & Poſonienſium Comitem (quæ dignitas Pálffiis obvenit Hæreditario jure a Rudolpho II.) Joſephus I. ſacræ Coronæ Cuſtodem dixere. Eleonora vero pietate toto orbe celeberrima, eundem ſtabuli præfectura donavit. Nec minus Caroli VI.

Au-

Auguſtiſſimi Monarchæ amores ſuos effecit. Vix fatis conceſſerat A. C. Georgius Erdődius Judex Curiæ Nicolaum ea in dignitate ſucceſſorem habuit ANNO MDCCXIII.

Nondum evoluto anno Poſonii, coronæ Patriæ urbe, Ordinum omnium vota in ſe rapuit, ut Pro-Rex eſſet, qui omnia merita, omnium virtutum decora pro hoc Magiſtratu, ſingulis in muneribus dudum habebat. 1714 Aureo denique jam ante ornatus Vellere, peregrinum ornamentum rurſus Proſapiæ ſuæ inſeruit, palamque docuit: verum illud eſſe domicilium virtutum, quod a ſummis Monarchis, ſumma honorum prærogativa inſignitur.

Jam grandes hoſce titulos, aut Patriæ ſenſum de *Nicolao* Pro-Rege metire. Hinc Martis, illinc altioris ſapientiæ encomia accipit: ubique magnus audit. Neque ſecus poterat vitam tranſigere, quam ut magna faciendo, perpetuo magnus in animis civium viveret, ſeu majores illius, ſeu poſteros inſpicias, quorum ſapientiam in tribunalibus, virtutis bellicæ veſtigia in arena leges. Hoſtis nullus Auſtriacam Domum, aut Hungariam laceſſivit, in quem Pálffii arma non ſumpſiſſent, ac ingens victoriis momentum attuliſſent.

Et ut pauca delibemus, laborisque, ac temporis compendium lectori faciamus: præter Nicolaum II. ſanguinem, vitam, aut libertatem, fortunas Reipublicæ impenderunt complures. Thomas ad Szécſenum MDLXII. prælio commiſſo cum Turcis vincula ſubiit. Petrus in campis Kereſzteſienſibus ab eodem hoſte MDXCVI. cæſus. Stephanus terror Turcarum MDCXXI. a Betleno ad montis Tatræ radices captus, quinquagies mille flor. libertatem emere, quam fidem mutare, maluit. Ad Eſzekum Franciſcus II. binis glandibus e minori tubo appetitus MDCXCIII. vitam amiſit. Joannes Carolus Generalis Campi Mareſchallus MDCXCIV. in expeditione Mediolani obiit. Nicolai VI. Palatini noſtri, quatuor filii vulneribus decori vitam poſuerunt. Leopoldus quidem primus in prælio Hochſtedtenſi proculcatus, tabe inde contracta ANNO M. DCCXVIII. moritur. Joannes V. ad Petro-Varadinum ANNO MDCCXVI. occumbit. Franciſcus III. Eques Melitenſis legionis pedeſtris Hungaricæ Tribunus ad Parmam ANNO MDCCXXXIV. per medios ignes eluctatus, accepto non uno vulnere, Stomphæ in avita domo vitam finiit. Carolus II. ad Petro-Varadinum M. DCCXVI. anno inſequenti ad Belgradum glande percuſſus, ANNO MDCCXVIII. extinguitur. Hæc Palatini Nicolai Martia progenies. Joannes VI. Joannis IV. Palatini (de quo ſuo loco) filius ANNO MDCCXVII. ad Belgradum trucidatur. Nicolaus VII. ejusdem Palatini Joannis IV. filius in Gallos dimicans in Parmenſi pugna, non minori jactura, quam luctu exercitus periit, quem vindicaturus Carolus Frater haud leve periculum ſubiit, mox ob rem fortiter geſtam, legione cataphractorum donatus. Infinitus ſim, ſi reliquos velim perſequi, qui ſive militiæ, ſive domi ſaluti popularium ſuorum vitam conſecrarunt. Nicolaus porro Palatinus communi

A.C. fatorum lege corpus ſenio, laboribusque grave depoſuit Poſonii ANNO MDCCXXXII. die XX. Martii, quod Malaczkæ Mauſolæo Majorum funebri pompa illatum.

SERENISSIMUS
DUX LOTHARINGIÆ
FRANCISCUS
NUNC
AUGUSTISSIMUS
ROMANORUM IMPERATOR,
Locumtenens Regius.

Sub Carolo III. Anno 1732.

1732 NAtas de funere Nicolai Pálffii abſterſit lachrymas glorioſiſſimus Regum Carolus III. hujus nominis Imperator VI. quando Sereniſſimum Ducem *Franciſcum* ſui vice (*Locumtenentem*) Hungariæ moderandæ præfecit. Regiæ literæ, quibus Carolus teſtatus eſt iſthoc munus Duci collatum, ad EXCELSUM CONSILIUM LOCUMTENENTIALE miſſæ, hunc in modum concinnatæ erant: *Reverendiſſimi, &c. Vacante Palatinali, hæreditarii noſtri Hungariæ Regni, nec non Regii noſtri, per idem Regnum Locumtenentis dignitate, clementer exiſtimavimus, magis conſpicuum teſtimonium vere paterni amoris noſtri, & Cæſareo-Regiæ benignitatis, qua erga præfatum noſtrum Hungariæ Regnum jugiter ferimur, exhiberi non poſſe, quam ſi Sereniſſimum Principem, Dominum FRANCISCUM STEPHANUM, LOTHARINGIÆ, AC BARRI DUCEM, Conſanguineum noſtrum chariſſimum, PROVISORIO MODO, & usque dum generalis Diæta memorati Regni noſtri Hungariæ, pro alterius Palatini electione a Nobis indici, & publicari poſſit, in REGIUM noſtrum, per Hungariam LOCUMTENENTEM benigniſſime nominemus; prouti etiam ſuprafatum LOTHARINGIÆ, AC BARRI DUCEM, peculiariter quoque de præfato hæreditario noſtro Hungariæ Regno, in antenatis etiam ſuis, optime meritum, pro REGIO noſtræ per Hungariam LOCUMTENENTE, clementer nominavimus, ac publicari juſſimus. Quod ipſum Fidelitatibus veſtris, non ſolum pro earundem notitia, verum etiam eo fine, per præſentes benigne intimamus, ut modalitate prædeducta, PROVISORIO nempe MODO, ac usquedum generalis Regni Hungariæ Diæta,*

ta, pro alterius Palatini electione, Fidelibus Statibus, & Ordinibus A. C.
memorati Regni noſtri, a Nobis indici, & promulgari poſſit, factam prælibati LOTHARINGIÆ, AC BARRI DUCIS in REGIUM noſtrum per Hungariam LOCUMTENENTEM nominationem, per univerſos Regni Comitatus, mox publicent. In reliquo, &c. manemus. Datum in civitate noſtra Vienna Auſtriæ, die V. menſis Aprilis Anno MDCCXXXII. CAROLUS. Comes Ludovicus de Batthyán. Petrus Végh.

Redierat *Dux* eo temporis ex Anglico itinere; ſubinde teſtandæ pietatis cauſa Cellas Marianas profectus, Poſonium ſe contulit VIII. Idus Junii. Ut tantus Hoſpes pro dignitate magnifice juxta, ac reverenter acciperetur, non miles, non civis deerat ſuo muneri. Pro porta flumentana duæ militum cataphractorum alæ explicatis ordinibus ſtabant. Urbis Magiſtratus ad eandem, ſuam ſtationem fixit. Plateas, qua tranſiturus erat, civium cohortes occupaverant. *Dux* peregrino ſimilis urbem invectus cum tribus duntaxat equitibus, celerius prope hoſpitium attigit, quam adveniſſe crederetur. Tormenta ter ſoluta ex arce, indicium dedere, *Ducem* adeſſe.

Simul atque hujus ampliſſimi muneris exordium cepit, continuo exiſtimavit orbis Hungaricus fore, ut quam de hoc Heroum ſanguine opinionem fovit, eam dexteritate agendi, prudentia ſingulari, ubertate conſiliorum, amore adverſus Patriam noſtram, multa felicitate auƈturus ſit. Nimirum virtus illa excelſa, quam cum ſplendore Natalium ad Magiſtratum attulit, ſpem tantam in animis omnium excitavit. Et vero plurium annorum decurſu, quibus res Hungaras ſapienter non minus, ac feliciter moderatus eſt, haud vulgaria edidit proſperrimi regiminis argumenta.

In ſanƈiore Conſilio *Locumtenentiali*, quo moderamine juſtitiam adminiſtrarit, luculente teſtatum fecit univerſo orbi. Qua comitate omne genus mortalium complexus fuerit, nihil attinet dicere. Quanto conditione naſcendi clarior, tanto ſermone comior ferebatur. Qua vero ſolicitudine, induſtria, ſalutem Reipub. procuraverit, expeditiones in Ottomanos ſuſceptæ teſtimonium præbuere. Conſilio, & armis Hungariam tuitus, arbitrio Divini Numinis ad ampliores dignitates evocatus eſt, ac procedente tempore Coronam Imperii obtinuit. Ita poſito ter felici principio regendi vaſtiſſimum Imperium apud Hungaros, ſummam dignitatem plaudente Europa abſtulit; cui diuturnam felicitatem toto animo comprecamur.

A. C. JOANNES VI. PALFFI

AB ERDŐD

AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XCIV.

Sub Maria Thereſia Anno 1741.

PAlffianam Domum rebus geſtis clariſſimam, Joannes hujus nominis inter ſuos IV. belli, pacisque artibus, omnium unus maxime illuſtravit. Natus eſt is apud Hungaros in arce Vőrőskő (vel ut aliis placet Viennæ Auſtriæ) Patre Nicolao IV. Matre Eleonora, C. Harrachio, & Franciſca Eggenbergia Principe genita, ANNO MDC. LXIII. die XX. Auguſti. Primam pueritiam partim Poſonii, partim Tyrnaviæ perpolivit. Sed natura inquies, igneusque, vix emenſus eloquentiæ ſtudium, literarum compedes rupit. Militiam amplexus MDCLXXXI. primum inter pedites Neupurgicos, dein cataphractos Caroli Pálffi Patrui ſui ſtipendia fecit. Centurio poſt triennium dictus, in Hungaria, & Imperio adeo virtute militari inclaruit, ut non dubitarit Leopoldus Imperator eidem Hungaram Equeſtrem legionem, Adami Czoborii morte viduam, ANNO M. DCXCII. conferre.

Felicem rerum curſum, annus, qui conſequitur, MDCXCIII. paululum interrupiſſe videbatur. Joannes Fridericus Würtenbergicus Dux, Pálffianæ legionis Huſzarum glande confecit, neſcio, qua de cauſa. Interpellatus, tergiverſatur damnum reſarcire. E verborum jurgio naſcuntur contumeliæ, non niſi ſingulari certamine finem habituræ. Provocatus *Pálffius*, ictum minoris ſclopi, ut erat hujus artis callentiſſimus, ſonipedis flexu declinat: ipſe certiore ictu Ducem equo, vitaque proturbat. Mox fuga arrepta cum Nicolao Duchonio armigero ſuo, viro forti, & ſtrenuo, ex Imperio Hungariam primum; dein Poloniam petit. Apud Conſulem urbis Cracovienſis diverſatus, veniam facti a Leopoldo Cæſare conſequitur. Vitæ, honorisque ſecurus, in caſtra reverſus, ad exitum ANNI MDCXCIV. loricatæ legioni, quam Gondola nuper ductarat, Tribunus datur, ſua in Adamum Kollonicſium Affinem ſuum, vel uti alii volunt, Ladislaum Ebergényium, annuente Cæſare, traducta.

Trahebatur ea tempeſtate ferale bellum in Imperio. Badenſis armorm Præfectus, quo Gallos in pugnam proliceret, *Pálffium* cum mille equitibus, ac peditum cohorte fines Lotharingiæ jubet petere. Expeditio majori tumultu, quam hoſtium damno peracta

eſt,

est, ob agrestes, qui montium juga occuparant. Duobus dunta- A. C.
xat vicis ad urbem Metas exustis, militem longa peregrinatione fessum in castra reduxit. Jam designatus ANNO MDCC. VII. Cal. Februarii *Generalis*, ut vocant, *Campi Mareschalli Locumtenens*, meliori fortuna pugnavit Eugenio Duce. Equitatum in Italiam deportandum *Pálffius* accepit ad ANNUM MDCCI. Superatis alpibus, per Sugæ vallem propter Vincentiam, Leogræ ripam, Montis Belli, & Coloniæ oppida haud procul Athesi constitit, præripiendis ad pontem navigiis intentus. Delusis Gallis, qui in adversa ripa tendebant, pontem perficit, ac traducto universo exercitu, ad Carpos Veneti juris oppidum; subinde ad Clarium, pars geminæ victoriæ de hoste reportatæ cum suo equitatu fuit.

Biennio post Styrumbio adjunctus, Lavingam, & Dillingam in Suevia occupat. Ad Höchstadium in Ussonium, Gallorum Ducem invectus, hostilem equitatum rejicit. Factis militaribus clarior, præ Georgio Erdődio, Nicolao Pálffio Fratre suo, Petro Keglevicsio, & Simone Forgácsio Candidatis, præfectura Bani Illyrici ornatur, quam C. Adamus Batthyányius in Curiam Regiam nuper translatus vacuam reliquit. Die XXIV. Martii ANNO M. DCCIV. inauguratio more gentis peracta est, præsente lectissima conjuge Theresia Czoboria, multaque Nobilitate Illyrica.

Ea dignitate insignitus, Rakoczianos arma longe, lateque circumferentes per Hungariam, non una clade attrivit. Ad Pudmericziam villam ANNO MDCCV. cum Herbevilio fere XL. eorum millia in fugam egit. Inter signa capta, grandius obvenit auro prædives, cui acu Phrygia hæc verba intexta: *dolor arma ministrat.* Anno insequenti Ladislaum Ocskájum sola adventus sui fama Sopronio depulit: in insula Csallokőzia ad Nagy-Magyar erectum munimentum vi expugnat: mox Kapuvárinum deditione accipit. Copiarum Imperator, sive Campi Mareschallus dictus ANNO M. DCCVII. primus Confœderatorum vires infregit. Ad Trenchinium Rákoczius, & Bercsényius numerosum exercitum sub signis habebant, vallis, machinisque probe munitum. Sigebertus Heisterus expeditionis Dux ipsam frontem hostium, robur nempe confœderatorum aggredi decrevit, jamque explicatam aciem concinentibus signis admovit. Cautior *Pálffius* simulata fuga equitatum Rákoczianum in apertum campum protrahit, una frontem obvertit. Res inopinata, qui modo fugientes persequebantur, in fugam conjicit, viamque expeditam ad victoriam sternit.

Discedente Posonium Heistero, *Pálffius* copiarum imperio susscepto, victorem militem Nitriæ affundit, ac bidui verberatione ad deditionem cogit XXIV. Augusti, eo nimirum ipso die, quo ante quadriennium a Rákoczio subacta. Eodem fere tempore Ocskájum, partium magni nominis Ducem, cum sua legione equestri ad Regia castra transeuntem, suis copiis adjungit. Post Nitriam oppidum Baimoczium cum castello se tradidit XI. Novemb. postquam omnis aqua e vallis derivata. Anno altero Ujvárinum lenta obsi-

A. C. dione fractum, Regi illico per *Pálffium* fuisset assertum, nisi Beleznayus a Bercsényio præsidio immissus, milites, & oppidanos ad defensionem inflammasset. Resumpta oppugnatione, tandem pervicaciam posuit ANNO MDCCX. præsente Heistero. Eo valetudinis causa in Styriam profecto, Pálffius summus armorum Præfectus, Agriam domuit, tantaque celeritate reliqua superioris Hungariæ præsidia partim vi, partim deditione per minores Præfectos capit, tu Bercsényius desperatis rebus in Poloniam se ejecerit, melioribus auspiciis, ut putabat, bellum civile reparaturus.

Pálffius visa Confœderatorum trepidatione, quo tandem Hungariam malis suis eripiat, B. Alexandrum Károlyium, Rákoczianorum primarium Ducem, literis benevolentia plenis ad pacem non minus utilem, ac necessariam hortatur. Is non aversatus salubre consilium, Rákoczium eo perpulit, ut Vajæ ad Tibiscum in colloquium veniret. Exeunte Januario ANNO MDCCXI. pacificationis negotium est cæptum, postquam *Pálffius* a Josepho Rege facultatem accepit plena cum potestate transigendi. Verum Rákoczius timidus magis, quam cautus cum omnia intuta crederet, in Poloniam turbidus abscessit, relicto Károlyio, qui copiis præesset. Dilapsis Ducibus, haud diu expectandum ratus Károlyius, indicto conventu Szathmárinum, conditionibus & decoris, & utilibus pacem confecit cum *Pálffio*. Vide *Chronicon Hung. ad Annum M. DCCXI.*

Prima Maji in campo oppidi Maithenii exauthorato Rákocziano exercitu, CXLIX. cum pedestria, tum equestria signa *Pálffio* traduntur. Dici non potest, quanta lætitia nuncium pacis Augusta Eleonora, quæ sublato Josepho XVII. Aprilis provincias moderabatur, acceperit, non ignara scilicet novem annorum spatio maximos Duces Schlikium, Heisterum, Rabutinium, Herbevillium, Starembergium validis exercitibus frustra eam quæsivisse, neque felicius Anglos, & Hollandos in Senatorio hoc campo versatos. *Pálffius* præter illustrem gloriam, præmium navatæ operæ abstulit arcem Makoviczam cum ampliſſima ditione, tum apud Sárosienses supremi Comitis dignitatem, & præfecturam urbis Cassovienſis, & confiniorum.

Pacata hunc in modum Hungaria, duo castella armorum furore in ruinas acta, ad omnem elegantiam extruere cæpit. Kiralyfalvense ANNO MDCCXII. nitori restituit. Addidit hortum opere vario, topiario, hydraulico celebratum. Consequenti anno Basinienſe non levibus impensis excoluit. Biennio post Nimeth-Gurabum a solo excitavit. Privatis intentum, bellum Ottomanicum in campum evocavit. Vix ad Futakinum castra posuit Eugenius Dux Sabaudiæ ANNO MDCCXVI. tum Turcarum exercitus ducentorum millium Savum trajecit; Petrovaradinum ad ictum destinans. *Pálffius* gnarus locorum, & militiæ vetus, barbarorum molimina explorare jussus, cum mille quingentis equitibus Germanis, & quadringentis Husaris Karloviczium versus contendit. Prope Ecclé-

cleſiam S. Mariæ de Pace, ubi ANNO MDCXC. pax confecta, mul- A. C.
titudinem hoſtium conſpicatus, Celeres ad Eugenium petitum auxilia dimittit. Expediti ſine mora Baraithiani dimachæ, & loricati Contrecourtiani. Ut iſti advenerunt, facile XL. millia Turcarum Cæſareos a lateribus, a fronte, maximo impetu incurrunt. *Pálffius* plenus animorum, diſpoſito in orbem milite, barbaros temere incurrentes, qua ſolutis fiſtulis, qua ſtrictis enſibus ſuſtinet. Amiſſo ſonipede, a Gabriele Nagyio Stephani Nagyii Proto-Notarii filio alterum accipit. Hoc quoque minore glande trajecto, Haubenus tertium dimicanti admovit. Quatuor horas medios inter ignes verſatus, cæſis mille hoſtium, ſignis quinque ablatis, obverſa in barbaros fronte, victorem manipulum in caſtra retrahit. Recenſitis militibus compertum eſt, quadringentos duntaxat partim vulneratos, partim occiſos fuiſſe: captum Sigefridum C. Breinerum, quem deinde hoſtis ad Petrovaradinum fuſus, prope Vezirii tentorium trucidavit.

Hæc proſpera velitatio augurium erat majoris victoriæ. Motis caſtris ad Petrovaradinum a Turcis obſeſſum, die VI. Auguſti univerſæ copiæ in certamen educuntur. *Pálffius* Magiſter equitum impreſſionem Spahiorum non ſuſtinuit modo, ſed in apertam etiam fugam conjecit. Janicſari in arena relicti ad ſatietatem cæduntur. Præter Vezirium, & ſupremum peditatus Præfectum, Agam, triginta millia occubuiſſe feruntur. Caſtra cum omni ſupellectili capta. Nobilem hanc victoriam deditio Temeſiæ conſecuta eſt. Cinxerant eam *Pálffius*, & Alexander Würtenbergicus Princeps cum equitatu, dum pedites XXVI. Auguſti adeſſent. Quo ſanguini militum Eugenius parceret, ignibus urbem edomare conſtituit. Vel ſupremo oppugnationis triduo ter mille, ſeptingentæ majores pilæ in præſidium tanta vi dejectæ, ut concuti fragore tellus, aer ipſe inflammari videretur. Fracti defenſores ea procella ignium, die XIII. Octob. urbem Eugenio permiſere.

Non omiſero iſthic præſentiſſimum diſcrimen *Pálffii*, quod fervente obſidione incurrit. Eruperant præſidiarii equites peditibus immiſti in ſtationem, cui ille præerat. Dum Ducis, militisque munere non impiger fungitur, eximiæ magnitudinis Turca in eum fertur. Congreſſi veluti ſingulari certamine, cum ſemel, atque iterum fruſtra ſe impetiiſſent glandibus, ſtricto ferociter ferro rem gerunt. Turca validus juventa, ac furenti ſimilis, circumducta celerrime framea, tam arcta indagine cinxit *Pálffium*, ut niſi in tempore ſuppetias veniſſent armigeri, futurum erat, ut ea in arena occumberet. Deturbatus equo barbarus obverſis ſclopis, & ſecuribus trucidari debuit. In altera eruptione in Joannem Vékonyium, Rákoczii quondam militem illatus, hominem in illo armorum tumultu paucis, at gravibus verbis perpulit, ut is omnino pollicitus fuerit, ſibi in poſterum rem Chriſtianam cordi futuram. Tum in ſpeciem ſolutis ſclopis, ut ne ſuſpicio mutatæ fidei apud Turcas oriretur, divelluntur.

A. C. Memor promiſſi Vékonyius, plurimum contulit ANNO M. DCCXVII. ut cæſo ad Belgradum Ottomano urbs ipſa in manus noſtrorum veniret. Ea impugnari cæpta eſt menſe Junio. Novus Vezirius collecto validiſſimo exercitu illico advolavit, collatisque caſtris Cæſareos obſedit. Mox per Vékonyium viarum callentiſſimum literas dat ad Gubernatorem Belgradi, quibus ſignificavit, ſe caſtra Chriſtianorum invaſurum, ſimulque hortatur, eodem tempore e præſidio impetum faciat in aggeres. Eas Vékonyius ad *Pálffium* clam defert, & conſilium Vezirii aperit. Juſſus proſequi iter, redux reſponſum Gubernatoris Eugenio tradit. Is ut præverteret hoſtem die XVI. Auguſti militem in aciem educit. *Pálffius* Magiſter equitum, primus Janicſarorum cornu munitionibus vallatum aggreſſus, viam aperuit ad victoriam. Hunc ſtrenue ſecuti Mercius, & Starembergius cum ſuis legionibus. Dextrum cornu hoſtium Würtenbergico, & Harrachio Ducibus acrius obſtitit. Sed & hic evaneſcente nebula pari fortuna dimicatum. Fuſis barbaris in campo, Gubernator ne ſua pervicacia victores in ſui, ſuorumque perniciem irritaret, die XXII. Auguſti præſidium Eugenio tradidit. Lætitiam *Pálffii* e tot victoriis obortam, temperavit mors Joannis filii in oppugnatione urbis perempti.

Quatuor, & viginti annorum pace Paſſaroviczii ſancita, inter Carolum VI. & Ottomanos, armorumque ſocios Venetos, *Pálffius* noſter campo exceſſit, res patrias in toga curaturus. Adlectus in REGIUM LOCUMTENENTIALE CONSILIUM, quod Carolus Rex ingenti commodo Hungariæ Poſonienſi in urbe ANNO MDCCXXIV. erexerat, ſecundum fata C. Stephani Kohárii, ANNO MDCCXXXI. Judex Curiæ Regiæ nominatur, ac nondum evoluto anno Poſonienſem provinciam poteſtate ſupremi Comitis moderandam ſuſcipit, cum ampla arcis ejusdem nominis ditione. Juverit recitare partem diplomatis pridie Idus Martii dati: *Officium ſupremi Capitaneatus arcis noſtræ Poſonienſis poſt mortem, & ex hac vita deceſſum Spectabilis, ac Magnifici quondam Comitis Nicolai Pálffii ab Erdód ſuprafati Regni noſtri Hungariæ Palatini, & Locumtenentis noſtri Regii, eidem Comiti Joanni Pálffi ab Erdód tanquam in familia Pálffiana natu majori, immediatoque ſucceſſori pro more, & conſuetudine alias etiam uſitata, jureque a Prædeceſſoribus noſtris Divis quondam Hungariæ Regibus felicis reminiſcentiæ eidem familiæ privilegialiter conceſſo, ſimul cum conſueta jurisdictione, prærogativa, conditionibus, emolumentis, & authoritate (excepta tamen ipſa arce noſtra Poſonienſi pro Maj. noſtra, & ſucceſſoribus noſtris legitimis Hungariæ Regibus abſolute remanente, & reſervata) clementer dandum duximus, & conferendum ita tamen, ut ipſe C. Joannes Pálffi, pro functione jam fati officii Capitaneatus non ſecus, niſi cum benigno præſcitu noſtro, vel Cameræ noſtræ Hungaricæ in dicta arce diſponere, & hujus officia, munia in eventu rei exercere, peragereque poſſit, & valeat, &c.*

E Curia iterum in campum prodiit ſummus armorum præfe- A.C.
ctus, adverſus veterem hoſtem Ottomanum, poſtquam iſte per Tartarorum Hordas fœde vaſtatis provinciis vires Orientis in Moſchoviam movit Cæſari confœderatam. Ut ſocio adeſſet Cæſar, exercitum in Hungariam miſit ANNO MDCCXXXVI. Duce Pálffio. Caſtris poſitis ad Futakinum, æſtatem exegit molitionibus Turcarum intentus. Verum cum ii nihil hoſtile auderent, integrum militem in ſtativa reduxit, fractusque ſenilibus morbis, in Curia ſe deinceps continuit. Rempub. indefeſſis curis complexo, Auguſtus Cæſar Torquem Aureum decernit. In principio ANNI MDCC. XL. eo ornatus, magnorum Heroum inſigne, rurſum in ſuam familiam intulit. Hoc illuſtre Carolinæ benevolentiæ argumentum, quo cupiebat *Pálffium* Mariæ Thereſiæ Auguſtæ Filiæ ſuæ, Regni, curarumque Hæredi arctius obſtringere, aliud, idque poſtremum excepit. Ad dimidium menſis Octobris gravi morbo conflictatus Carolus Imperator, eundem Viennam evocat, Hæredem tot provinciarum, paterna prorſus ſolicitudine, illius fidei majorem in modum commendat.

Demortuo Carolo die XX. Octob. poſt dimidium noctis hora prima, illico in aulam accerſitus, ſupremus militiæ Præfectus per Hungariam, Hungariæque annexas provincias a Maria Thereſia dicitur, aut ſi mavis, novæ Principis authoritate eo in Magiſtratu firmatur. Lætus judicio Auguſtæ Dominæ, omnem operam ſedulus adhibuit, quo vetera ſua ſtudia erga Domum Auſtriacam, vel maxime in ea rerum perturbatione probaret. Acuit induſtriam Fridericus III. Boruſſiæ Rex, qui armato ingenti exercitu Sileſiam inundavit, militumque præſidio vacuam, magnam partem ſuæ poteſtati ſubjecit.

Pálffius minime cunctatus, ſæviente quantumvis hyeme legio- 1741
nes adverſus hoſtem proficiſci jubet; datisque ad provincias Hungariæ literis, ad arma capienda populares ſuos hortatur. Quo minus ipſe in fronte copiarum Imperator appareret, præter adultam ætatem negotiorum moles, quæ non tam ferro, quam conſiliis in Senatu pertractanda erat, prohibuit. Indicta fuere Regni comitia Poſonium ANNO MDCCXLI. Provinciarum Legatis, aliisque Nobilibus in urbem confluentibus XIV. Maji, *Pálffius* primam ſeſſionem in diem duodevigeſimam ejusdem menſis edixit. Huic, uti & ſacris cerimoniis, quæ præſente univerſa Nobilitate in Baſilica S. Martini ſunt habitæ, ipſe quoque interfuit. At cum ex pedibus identidem laboraret, lecto affixus non deſtitit ſaluberrimis conſiliis Reipub. ſalutem in eo conventu Ordinum procurare.

Secunda, & vigeſima Junii apparuit, quanto in amore, atque æſtimatione Nobilitatis Hungaricæ eſſet. Pro dignitate Palatini more veteri quaterni Canditati a Maria Thereſia Hungariæ Regina nominati ſunt: C. Joannes Pálffius Judex Curiæ Regiæ, C. Joſephus Eſzterházius Banus Illyrici, B. Paulus Réwai, & B. Emericus Zái. Eſzterházius, ut erat pace, & bello clariſſimus, eo Magi-

A. C. ſtratu dignus, ſine mora aſſurgens brevem ſermonem habuit de virtute militari, deque grandibus meritis in patriam *Pálffii*, ac votum ſuum in eum contulit, hortatusque eſt Patres, concordibus ſuffragiis ſe præeuntem alacres ſequerentur. Tam ſincera voluntate animati, omnes *Pálffium* conclamarunt. Ab Ordinibus ſplendido comitatu ad Reginam deductus, ei, ac Regno ſe jurejurando obſtrinxit. Eſzterházius vero illico Judex Curiæ renunciatus eſt.

Ferventibus comitiis multiplex bellum exarſit. Præter Boruſſum Sileſiæ incubantem, Bavarus, & Gallus numeroſis copiis accincti, Auſtriæ, atque Bohemiæ imminebant. Regina hoſtibus circumſeſſa, accitis in Poſonienſe caſtrum Patribus congregatis die XI. Septemb. latio ſermone de armorum injuriis queſta, ſe, liberos ſuos, provincias ſuas, Hungarorum fidei, atque auxilio permiſit: teſtata, ſe ab omnibus deſertam, ſpem unam melioris fortunæ in Hungarorum armis locare. Die eodem exaratis literis ad Status, & Ordines petitionem iteravit. Præſenti rerum ſtatu commoti, vitam, & ſanguinem ſpondent; & quoniam hoſtes in dies numero creſcebant, omni mora ſepoſita *Inſurrectionem Generalem*, hoc eſt univerſas Regni vires Reginæ addicunt. Fortia verba factis celerrime æquarunt. Eadem adhuc hyeme per Comitatus, ſive provincias viginti, & unum mille, ſexcenti viginti duo pedites leguntur, ac militari diſciplina probe exercitati, in ſex legiones diſtribuuntur, nominatis Tribunis B. Andráſi, C. Volffgango Betlen, C. Ignatio Forgács, B. Adamo Haller, B. Ujvári, & Thoma Szirmai. Pari celeritate equitatus ad ſigna convolavit, maturantibus auxilia provinciarum Præfectis, tum Campi Mareſchallis Comitibus Joſepho Eſzterházio, Alexandro Károlyio, Georgio Csákio. Iisdem diebus Magiſter equitum dictus C. Franciſcus Eſzterházi; Aciei Structor, Princeps Paulus Antonius Eſzterházi; Tribuni: C. Nicolaus Eſzterházi, C. Franciſcus Forgács, & Paulus Benyovſzki. Aliis aliæ militares præfecturæ collatæ. Itaque veluti in medio tumultu, Hungaria omni, claſſica audiebantur: viis omnibus commeantes, & oppidis milites: explicari ſigna, arma depromi, pro numero armatorum fremitus exciri. Atque hic peditum, equitumque exercitus, ceu ex inſidiis a tergo conſurgens, hoſtium vaſtiſſimas ſpes evertit, curſum victoriarum ſtitit.

1743 *Pálffium* Pro-Regia authoritate plurimum contuliſſe, ut hoc ſubſidium militare promptis animis decerneretur, in comperto eſt. Et quoniam bellum pluribus annis varia fortuna protrahebatur, non ceſſabat urgere provincias, quo legiones novis ſupplementis reficerentur. Neque illæ deerant ſive Pro-Regis voluntati, ſive præſenti neceſſitati. Initis induciis cum Rege Boruſſorum ANNO MDCCXLII. miles noſter domita Bavaria ad Rhenum usque arma protulit, non minori lætitia Reginæ, quam gloria Hungarorum, ut teſtantur literæ *Pálffio* inſcriptæ die XIII. Julii ANNO MDCC. XLIII. hujus tenoris: *Chare Palatine! Ex eo, quod de felici Rheni trajectu ex nunciis publicis intellexiſtis, haud dubie vobis conſtabit, quam*

quam & ſtrenue, & fortiter copiæ Hungaricæ ſe geſſerint. Secuti A.C.
ſunt initium adeo proſperum, ſucceſſus adhuc fortunatiores. Expugnata equidem mœnia quaſi invincibilia ad Lauterburgum: occupata etiam ipſa hæc civitas: diſperſi illi, qui in Regionibus illis erant inimici: capta horum vexilla, & tympana. Quæ omnia poſt omnipotentis auxilium, fortitudini, dexteritati, & prudentiæ non niſi dictarum copiarum attribuenda ſunt: prouti ex literis Principis Caroli, cognati mei dilectiſſimi, uberius hic percipietis. Non poſſum igitur quin gaudium, quod abunde ſentio, maximum, palam vobis faciam. Non ignotum quidem vobis eſt, quantus omni non tempore fuerit & affectus, & fiducia mea erga nationem adeo mihi charam: perſuaſumque vobis erit, & affectum, & fiduciam meam majorem in dies erga eandem fieri, cum in dies ſpecimina majora habeam, quam parum ſpes de eadem concepta me fefellerit. Nihil proinde eſt, quod in valore, fideque Hungarorum, omni prorſus occaſione mihi non promittam: nihilque quod lubenti, & grato animo Majeſtatis noſtræ, ad Regni bonum facere parata non ſim. Quod ſupereſt gratia, ac clementia noſtra Regia benigne, jugiterque propenſa vobis maneo.

Pace tandem compoſita ANNO MDCCXLVIII. duodevigeſimo 1748
Novembris, non levi ſolicitudine exolutus Pro-Rex, vix capiebat animo ſinceriſſimam lætitiam, quod Auguſtam Dominam ſuo in imperio ſtabilitam, a provinciis Domui Auſtriacæ obnoxiis, bellum, bellique calamitates propulſatas videret. At lætitia iſta non fuit diuturna.

Annis quippe ſenibus, morbi ex ordine ſuccedentes, virum 1751
bellicis laboribus, & infinitis curis alioquin fractum, penitus proſtraverunt. Menſe Februario ANNO MDCCLI. præter ſolitum pejus habere cœpit. Ut medicamentis nihil omnino profici, & morbos veluti in horas invaleſcere perſenſit, rebus humanis compoſitis, patefactis Sacerdoti e Soc. JESU, quantum a prima juventute meminiſſet, animæ maculis, Sacro-Sancta Myſteria admirabili pietatis ſenſu percepit VIII. Martii. Sexto poſt die, ac rurſum primo, & viceſimo Martii ardentiſſima inter ſuſpira, divinum epulum, ſeu ſupremum ad longum iter æternitatis viaticum, ſponte expetiit. Eodem die Julianam Stubenbergiam, quam ſecundo matrimonio ANNO MDCCXLI. ſibi conjunxerat, ſupremum ſalutavit, detractumque annulum digito ingentis pretii, eidem tradidit. Mox *Codicillum* ſignavit in præſentia illuſtrium Comitum Joſephi Illyésházii, & Joſephi Keglevicſii. Hiſce officiis ſumma tranquillitate animi perfunctus ajebat: *Lubens jam moriar: nihil me impedit, quo minus ad ſuperos abeam.* Triduo adhuc ſupervixit ſenſibus integris. Toto eo tempore, morbo corporis uſus eſt, veluti veriſſimo virtutis gymnaſio. Dolores, quibus ſine induciis cruciabatur, Heroo prorſus animo tolerabat. Multos beneficiis cumulatos ab ſe dimiſit. In egentes viduas, mendicabula prolixe, religioſeque ſtipem contulit. Sacra piacularia per eosdem dies ut fierent, multum æris elargitus eſt. Demum petita offenſionum venia, ſub extre-

mum

A.C. mum conteſtatus eſt, uti ſibi noxarum ſuarum ſic bonus, & clemens DEUS faceret gratiam, quemadmodum ipſe remitteret offenſas omnibus. Quarta, & vigeſima Martii, cum ſupremam horam perſentiſceret, oſculo ſtringens imaginem Servatoris noſtri cruci affixi, ac ſacras icones Virginis Matris, & D. Aloyſii, ſeptima hora veſpertina pientiſſime juxta, ac placidiſſime inter adſtantium comprecationem deceſſit, ætatis anno octavo ſupra octogeſimum.

Funus modeſtis, ut ipſe ultima voluntate juſſerat, ſolennibus in Baſilicam D. Martini Poſonii illatum eſt die XXVII. Martii, obeunte cerimonias C. Carolo Ab Althan Vacienſium Præſule. Geſtabant humeris lectum Tribuni, aliique Præfecti militares. Pyrobolariorum centuria inverſis, ut aſſolet, incompoſitisque ſignis ad fores templi parentavit. Tormenta crebrius ſoluta ex arce. Triduo deinde in Baſilica, ritu Chriſtiano ſacra peragebantur, confluente ad largiſſimam ſtipem infinita egenorum turba. Poſonienſis provincia, quam jure ſupremi Comitis annis fere XX. adminiſtravit, juſta funebria Patri Patriæ eodem ANNO die XXVII. Julii, grata perſolvit.

LUDOVICUS DE BATTHYAN

PERPETUUS IN NEMETH-UJVAR,

AUREI VELLERIS EQUES, &c.

Palatinus Regni Hungariæ, & Judex Cumanorum XCV.

Sub Maria Thereſia Anno 1751.

SEcundum fata Joannis Pálffii, principio fere comitiorum Poſonienſium, omnium Statuum, & Ordinum conſenſu Pro-Regiam dignitatem accepit *C. Ludovicus de Batthyan.* Natus eſt is Patre Adamo Batthyánio, & Eleonora Stratmania. Hic vero ille Adamus eſt, qui Tribunus primum pedeſtris legionis Hungaricæ, dein partium Regni Hungariæ Trans-Danubianarum Præfectus, ætatem fere omnem in campis transegit. Ercſinum, aliaque oppida juris Turcici infra Budam, partim vi, partim deditione occupavit. Ad Budam ſemel, atque iterum hoſtes cæcidit. Albam Regiam, Caniſam iisdem eripuit. Banus Illyrici nominatus MDCXCIII. ut dignitate, ita copiis auctior, Savum, Dravum ſtrenue non minus, quam feliciter tutatus eſt. Hæc ſuis annis prolixiore narratione deducta reperies in Hiſtoria Imperatorum Ottomanicorum. Judex Curiæ Regiæ ANNO MDCC. die XIII. a Magno Leopoldo dictus,

ctus, triennio non integro, patriæ commoda in toga procuravit. A. C. P. Carolus Péterffi e Soc. JESU, Scriptor Judicum Curiæ, hæc de Adamo: *Familiæ ſuæ columen, Heros omnino incomparabilis, qui perpetuo in caſtris verſatus, nunquam e pugna victus rediit. E Croatiæ jugulo Turcicum enſem depulit, Dux egregius, & Ottomanicæ perfidiæ vindex longe maximus. Conſilio, & manu promptus, atque inde Leopoldo acceptiſſimus.*

Hoc illuſtri editus Patre *Ludovicus*, cum inter ſuaves Muſarum receſſus egregiam indolem literis perpolliviſſet, Salisburgi inſignem peritiam jurium ſibi comparavit. Sagum indutus ad Temeſiam, Belgradum ſub Principe Eugenio, veterano, multarumque palmarum Duce militiam auſpicatus eſt. Sed boni Superi, ab arena illa Martia *Ludovicum* noſtrum avocarunt, non minori patriæ commodo, quam excelſæ familiæ ſuæ incremento. Ergo poſitis armis, in ſinu pacis, curandis Reipub. rebus totum quantum ſemet addixit. Cancellariæ Regio-Hungarico Aulicæ Conſiliarius ad ANNUM MDCCXVIII. primaria, & rara ſua prudentia tantum ſibi exiſtimationis conciliavit apud Cæſarem, Regemque Carolum, ut ardua quæque, & implexa eo adminiſtro, atque interprete tranſegerit. Biennio Pro-Cancellarius, demum ANNO MDCCXXXI. pleno jure, ac authoritate ampliſſimum hunc Magiſtratum accepit, tenuitque ad ANNUM usque MDCCXLVI.

In hoc feraciſſimo negotiorum theatro, octo, & viginti annos ſumma integritate verſatus, ternis univerſi Regni comitiis interfuit, difficillimarum rerum transactor. Mei inſtitui non eſt, ea in medium adferre, quæ decurſu iſtorum annorum ad firmandam Regum, provinciarumque felicitatem, in hujusmodi conventibus decreta; etſi vel maxime vellem, iis tamen ex æquo celebrandis non minus tempus me deficeret, quam verborum ubertas. Leges patrias evolventi alioquin occurrent ſaluberrima ſancita. Iſtud hic meminiſſe ſuffecerit: *Ludovicum Batthyánium* invicto animi robore, ac promptitudine, hæc & alia ad felicem exitum deduxiſſe.

Has inter graviſſimas curas pietatem in Superos, in Magnam Dominam Hungarorum præ oculis ſemper habebat. Multas ille ædes in oppidis ſuarum poſſeſſionum Divino Numini conſecratas e fundamentis eduxit; alias priſtino ſplendori reddidit; aris, atque apparatu ſacro ornavit: coloſſos, cultum, ac venerationem Divinæ Matris propagaturus, non levibus impenſis poſuit. Domicilia egenorum uſibus deſtinata, inſigni ſubſidio pecuniarum adjuvit, ac annuis fructibus cumulavit. Adoleſcentes, ſive a parentibus, a fortunis deſertos, ſive hæreſi ereptos, perpetua munificentia aluit, alitque. In Religioſorum Familias ſæpenumero perbenignus fuit: harum paupertati ære, annona, atque aliis in uſus humanos neceſſariis conſuluit. Religionem denique qua conſiliis, qua authoritate adverſus hoſtes perpetuo defenſavit. Hæc præclara ſtudia BENEDICTUS XIV. ſummus

A. C. Sacrorum Antiſtes, miſſis ſacris exuviis Divi felicis non ſine ampliſſimis præconiis, ſubinde remuneratus eſt. Iſthoc Pontificium donum inter præcipua Gentis *Batthyánianæ* decora non ſileri par fuit, cum ſat luculentum teſtimonium ſit ſinceræ Religionis defenſæ, propagatæque. Præter ædificia ſacra, ut & iſtud addam, caſtellis, bellorum tempeſtate attritis, meliorem formam reſtituit: Kőrmendinum ad omnem elegantiam inſtruxit. Denique ut illuſtrem familiam ſuam ſtabiliret magis, *Majoratum* proceſſu temporis condidit, ne videlicet opulentæ fortunæ in plura capita diviſæ, tandem exhauriantur. Sed in viam redeamus.

Sapientiſſimus Regum Carolus, perſpecta incredibili laborum tolerantia, fide, Religione, prudentiaque excellente, eundem munere jam ſupremi, ac perpetui Comitis florentiſſimæ provinciæ Caſtri-Ferrei ornatum, in cenſum Regni Baronum retulit, Pincernisque Regiis per Hungariam præfecit; & quod caput eſt, apud AUGUSTAM DOMINAM MARIAM THERESIAM FILIAM SUAM, hæredem gratiæ, negotiorumque inſtituit. Et vero e re Domus Auſtriacæ erat, *Ludovicum* præcipuum regiminis inſtrumentum ab exceſſu Caroli, MARIÆ THERESIÆ obtigiſſe; iis videlicet temporibus, quibus potentiſſimi Principes vallidiſſimis exercitibus Hæreditarias provincias invaſerunt.

Curarum mole in dies creſcente, Ordines, ac Status Hungariæ Poſonienſem in urbem evocantur, die XV. Maji currentis ANNI MDCCXLI. Poſtquam frequentes convenere, *Batthyánius* diſertiſſima oratione patria, mentem Sereniſſimæ Reginæ erga nationem Hungaram interpretatus, hortabatur univerſos, ut electo quamprimum Palatino, maturarent inaugurationis ſolennia, atque reliquum temporis conſultationibus darent. Non morabantur juſta deſideria Ordines; & quod multiplex hoſtis poſtulabat *Inſurrectionem Generalem* adpromittunt, ut jam nuper commemoravi. Vario Marte in diverſis provinciis bellum gerebatur; dum denique armorum damna perpeſſæ partes, conſilia pacis admitterent, eo ipſo tempore, quo *Carolus Batthyánius* Illyrici Banus, Aurei Velleris Eques, ſumma poteſtate legionibus noſtris in Belgio Imperator præeſſet. Sic *Ludovicus* & *Carolus* ut ſanguine, & amore, ita fide in Principem conjunctiſſimi Fratres, diviſo inter ſe munere, in Curia alter, alter in campo, Auguſtæ Dominæ res prolapſas meliori fortunæ reſtitutum ibant.

Uterque ſuæ induſtriæ præmium tulit. Quippe Carolus in præfectura aulæ Joſephi Archi-Ducis ſtabilitus, Principem Coronæ, ſuæ curæ, ac fidei concreditum, inſigni benevolentiæ ſignificatione Auguſtæ Dominæ accepit. Hunc ille tot provinciarum hæredem præceptis Imperatoriis, iisque artibus, quibus populi reguntur, a teneris annis inſtituit. Feliciter! *Ludovicus* vero ad ANNUM MDCCXLIV. inter torquatos Aurei Velleris Equites ſolenni

lenni ritu cooptatus est, a Sereniſſimo Duce Lotharingiæ Franci- A.C.
ſco, nunc Auguſtiſſimo Imperatore, hujus Sodalitii Præfecto. Habes Argumentum non vulgare Auguſti favoris. Biennio poſt, cum nihil remitterent infinitæ curæ, laboribus fractus quietem optavit, abdicatoque bona venia Auguſtæ Dominæ Cancellarii munere, in patriam abſceſſit valetudinem curaturus.

Sed natus bono publico haud diu otium eſt nactus. Namque 1751
in conventu Poſonienſi, liberis ſuffragiis omnium Ordinum, & Statuum ad ſummos ſecundum Regem honores evehitur, ANNO MDCCLI. die XI. Maji. Mox inter ſinceras omnium acclamationes maximo Nobilium comitatu arcem petiit, ac more, inſtitutoque Majorum ſolito jurejurando ſemet obſtrinxit. Haud ingratum fore exiſtimo hoc loco recitare publicum teſtimonium, nempe *Articulum II. Decret. II.* MARIÆ THERESIÆ nunc feliciter Hungariam moderantis, *de electo Regni Palatino: Medio indictorum comitiorum Regni tempore, Excellentiſſimo quondam, ac Illuſtriſſimo Domino Comite Joanne Pálffi ab Erdód, Regni hujus Hungariæ Palatino e vivis ſublato, Sacra Cæſarea, Regiaque Majeſtas ſingularem fidelibus ſuis Statibus, & Ordinibus Regni propenſionem in eo etiam benigne teſtari dignata eſt: quod non expectatis eorundem Statuum, & Ordinum Regni precibus ſpem, & deſideria illorum Clementia ſua Cæſareo-Regia prævenerit, alteroque ſtatim poſt exhibitas propoſitiones Regias die, pro eligendo novo Palatino quatuor e numero Baronum, & Magnatum Regni candidare dignata eſt: ex illis Excellentiſſimus, ac Illuſtriſſimus Dominus Comes Ludovicus de Batthyán, Perpetuus in Németh-Ujvár, Aurei Velleris Eques, Pincernarum Regalium Magiſter, Comitatus Caſtri-Ferrei Perpetuus ſupremus Comes, ac Sacræ Cæſareo Regiæ Majeſtatis Actualis Intimus Conſiliarius; ſplendore Natalium, inſignibus animi dotibus, eximiisque virtutibus conſpicuus, ac tam per Majores ſuos ab ipſis incunabulis Regni, quam & per ſe ipſum in utraque patriæ fortuna, pacis, bellique temporibus, ingenti ſemper zelo, indefeſſo ſtudio, conſtantique fidelitate præſtitis Regibus, & Regno ſervitiis, ac inde in ſe, ſtirpemque ſuam gentis primariam redundantibus ampliſſimis meritis multum commendatus, concordibus Statuum, & Ordinum Regni votis, unanimique conſenſu, lætisque acclamationibus electus eſt, &c.*

Hic ſenſus univerſi Regni de *Ludovici* Majoribus, deque ipſo *Ludovico*. Et jam volebam, uti pronum fuit e fide diplomatum, longam ſeriem Heroum *Batthyánianæ* proſapiæ recenſere, qui in campo, in Curia, fortunas in utraque Republica, ſanguinem, vitam ſaluti Regum, & Civium conſecrarunt. Sed ab iſta voluntate me abſterruit ſapiens admonitio Pro-Regis noſtri, qua alteri cuipiam Scriptori in laudes *Batthyániorum* prono ſilentium impoſuit his verbis: *deſineret elaborare in re, vera ea omnino; ſed quam ſua luce radiare præſtet, quam adſcita Scriptorum*

A. C. *rum facundia.* Idcirco magnis illis Heroibus non verborum præconiis, ſed tacita veneratione litabo. Interim dum eorum ingentia merita in utramque Rempublicam cumulatiſſime collata, dulci contemplatione intueor, candidis votis finem ſcribendi facio: *Ludovico* Pro-Regi, tum Carolo Fratri, *Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano;* ac quaternis ornatiſſimis Pignoribus, Adamo *S. C. R. Majeſtatis Camerario, & unius legionis militiæ Banalis confiniariæ Tribuno:* Joſepho *Præpoſito B. M. V. de Ráthott, Archi-Diacono Barſienſi, Eccleſiæ Metropol. Strigonienſ. Canonico;* Theodoro *in legione Dimacharum Caroli Batthyánii, Patrui ſui, Signifero*: denique Philippo bonarum literarum cultori, annorum diuturnitatem Superi concedant.



Országos Széchényi Könyvtár

CA-

CATALOGUS

PALATINORUM REGNI HUNGARIÆ.

Ordo, & nomen Palatinorum.	*Annus initi Magistratus.*	*Annus depositi Magistratus, vel Mortis.*	*Vacat Palatinatus.*
1. Ceba. pag. 4.	MI.		
2. Aba. pag. 4.	MXXXIV.	MXLI.	
3. Zache. pag. 8.	MLV.	MLVI.	
4. Rado. pag. 9.	MLVI.		
5. Acha. pag. 10.	MLXIV.		
6. Vidus. pag. 11.	MLXXII.	MLXXIV.	
7. Jula I. pag. 13.	MLXXV.		
8. Joannes I. Uros. pag. 14.	MC.		
9. Lambertus. pag. 16.	MCXXV.	MCXXXII.	
10. Faufal. pag. 17.	MCXXXVII.		
11. Gerzeon. pag. 18.	MCXLVIII.	MCLV.	
12. Belus. pag. 18.	MCLVI.		
13. Ompud. pag. 20.	MCLXV. iterum anno MCLXXII.	MCLXVI.	
14. Thomas I. pag. 21.	MCLXVI. iterum anno MCLXXXVI.		
15. Dionyſius I. pag. 22.	MCLXXXIV.		
16. Mogh. pag. 23.	MCLXXXVIII. iterum annis MCXC. & MCXCIII. tum M. CXCVIII.		
17. Dominicus I. pag. 24.	MCXCII.		
18. Farkas pag. 23.	MCXCVI.	MCXCVII.	
19. Eſau. pag. 25.	MCXCVII.		
20. Mike I. pag. 25.	MCCI.	MCCV.	
21. Ceph. de Heder-vára. p. 26.	MCCVI.		
22. Poth de Heder-vára. p. 27.	MCCIX.		
23. Bank. pag. 28.	MCCXII.		
24. Jula II. pag. 30.	MCCXV.	MCCXVIII.	
25. Nicolaus I. Giletus. pag. 31.	MCCXIX.		
26. Jula Magnus de Borthz. pag. 31.	MCCXXIV. iterum anno MCCXXVI.		
27. Philippus. pag. 32.	MCCXXV.		
28. Nicolaus II. de Borthz. p. 33.	MCCXXVIII.		
29. Moys, ſive Moyſes I. p. 33.	MCCXXX.		
30. Dionyſius II. Vialka de Heder-vára. pag. 34.	MCCXXXII.		
31. Wilermus Drugeth de Homonna. pag. 35.	MCCXXXV.	MCCXXXIX.	
32. Ladislaus I. pag. 36.	MCCXL.	MCCXLI.	
33. Arnoldus pag. 38.	MCCXLII.	MCCXLIII.	
34. Stephanus I. pag. 38.	MCCXLIII.	MCCXLIV.	
35. Dionyſius III. de Vialka pag. 39.	MCCXLIV. iterum anno MCCLII.		
36. Mike II. pag. 41.	MCCXLVI.	MCCXLVII.	

Ordo, & nomen Palatinorum.	*Annus initi Magistratus.*	*Annus depositi Magistratus, vel mortis.*	*Vacat Palatinatus.*
37. Stephanus II. de Chák. p. 41.	MCCXLVII.	MCCXLVIII.	
38. Demetrius de Chák. p. 42.	MCCXLVIII.		
39. Rolandus pag. 43.	MCCLI. iterum anno MCCLIV. & MCCLV.		
40. Henricus I. pag. 45.	MCCLIII.		
41. Thomas II. pag. 45.	MCCLX.		
42. Henricus II. pag. 45.	MCCLXIII.		
43. Laurentius I. Poth de Heder-vára. pag. 47.	MCCLXVII.		
44. Moys, seu Moyses II. p. 49.	MCCLXX.	MCCLXXII.	
45. Rolandus Banus Machoviensis. pag. 50.	MCCLXXII.		
46. C. Dionysius IV. de Oklics pag. 51.	MCCLXXIV.	MCCLXXV.	
47. Nicolaus III. pag. 51.	MCCLXXV.	MCCLXXVIII.	
48. Mathæus I. pag. 52.	MCCLXXVIII.		
49. Pintha. pag. 53.	MCCLXXXI.		
50. Nicolaus IV. pag. 54.	MCCLXXXIV.		
51. Nicolaus V. pag. 54.	MCCXCIII.		
52. Joannes II. pag. 55.	MCCXCVIII.	MCCXCIX.	
53. Opor. pag. 56.	MCCC.		
54. Mathæus de Trenchén. p. 56.	MCCCII.		
55. Amadæus de Haba. pag. 59.	MCCCVIII.		
56. Copolchus. pag. 62.	MCCCVIII.		
57. Dominicus II. Magnus de Haszos. pag. 63.	MCCCXIII.	MCCCXXI.	
58. Philippus Drugeth de Homonna. pag. 64.	MCCCXXII.	MCCCXXX.	
59. Joannes III. Drugeth de Homonna. pag. 66.	MCCCXXX.	MCCCXXXIII.	
60. Guilielmus Drugeth de Homonna. pag. 67.	MCCCXXXIV.		
61. Nicolaus VI. Giletus. p. 68.	MCCCXLIII.		
62. Nicolaus VII. Konth. p. 69.	MCCCLII.	MCCCLXVII.	
63. Ladislaus II. Dux Opuliæ. pag. 72.	MCCCLXVIII.	MCCCLXXIII.	
64. Emericus I. pag. 75.	MCCCLXXIII.	MCCCLXXIV.	
65. Nicolaus VIII. de Gara. p. 76.	MCCCLXXV.	MCCCLXXXVII.	
66. Nicolaus IX. Com. de Széch. pag. 79.	MCCCLXXXVII.	MCCCLXXXVIII.	
67. Stephanus III. pag. 81.	MCCCLXXXIX.	MCCCXCI.	
68. Leustachius de Ilswa. p. 82.	MCCCXCII.	MCCCXCVII.	
69. Detricus Bubek de Pelsócz. pag. 83.	MCCCXCVII.		
70. Nicolaus Marczalthey. p. 84.	MCCCC.		
71. Nicolaus X. de Gara. p. 85.	MCCCCIII.	MCCCCXXXIII.	
72. Mathæus III. de Palocs. p. 88.	MCCCCXXXIV.	MCCCCXXXVII.	

Ordo, & nomen Palatinorum	*Annus initi Magistratus.*	*Annus depositi Magistratus, vel Mortis.*	*Vacat Palatinatus.*
73. Laurentius II. de Heder-vára. pag. 89.	MCCCCXXXVII.		
74. Ladislaus III. de Gara. p. 91.	MCCCCXLIX.	MCCCCLX.	
75. Michael I. Országh de Guth. pag. 96.	MCCCCLX.	MCCCCLXXXI.	Ann. fere V.
Urbanus Doczi Ep. Agr. Locumtenens Regius. pag. 100.	MCCCCLXXXI. iterum anno MCCCCLXXXVII.	MCCCCXCII.	
76. Emericus II. de Zapolya. pag. 106.	MCCCCLXXXV.	MCCCCLXXXVII.	Quinquennio.
77. Stephanus IV. de Zapolya. pag. 111.	MCCCCXCII.	MCCCCXCIX.	
78. Petrus Gereb de Wingarth. pag. 117.	MD.	MDIV.	
79. Emericus III. Perényi. p. 118	MDIV.	MDXVII.	
80. Stephanus V. Báthori. p. 122.	MDXVII.	MDXXXV.	Undeviginti annis.
81. Michael II. Keserő. p. 126.	MDXXVI.	MDXXIX.	
82. Joannes IV. Bánffi de Also Lindva. pag. 127.	MDXXX.	MDXXXIII.	
Alexius Turzo de Betlen-Falva, Locumtenens Regius. p. 129.	MDXXXV.	MDXLIII.	
Franciscus de Réwa Pro-Palatinus. pag. 131.	MDXLIII.	MDLIII.	
Paulus de Várda Archi-Fp. Strig. Locumtenens Regius. p. 134.	MDXLIII.	MDXLIX.	
Franciscus Uilaki Episc. Agr. Locumtenens Regius. pag. 136.	MDXLIX.	MDLV.	
83. Thomas III. Nádasdi. p. 139.	MDLIV.	MDLXII.	Sex, & quadraginta annis.
Nicolaus Oláhus Archi Ep. Strig. Locumten. Regius. p. 143.	MDLXII.	MDLXVIII.	
Michael de Mére Pro-Pal. p. 147.	MDLXIII.	MDLXXII.	
Antonius Verantius Archi-Episc. Strig. Locumt. Regius. p. 149	MDLXXII.	MDLXXIII.	
Emericus Czobor Pro-Pal. p. 152.	MDLXXII.	MDLXXXII.	
Stephanus Radetius Episc. Agr. Locumten. Regius pag. 153.	MDLXXIII.	MDLXXXVI.	
Nicolaus Istvánffi Pro-Pal. p. 154.	MDLXXXII.	MDCXV.	
Georgius Dráskovics S. R. E. C. Archi-Ep. Col. Loc. Reg. p. 157.	MDLXXXVI.	MDCLXXXVII.	
Steph. Fejérkővi Archi-Ep. Strig. Locumten. Regius. pag. 158.	MDLXXXVIII.	MDXCVI.	
Joannes Kutassi Archi-Ep. Strig. Locumten. Regius. pag. 160.	MDXCVII.	MDCI.	
Martinus Pethő de Hetes, Archi-Ep. Coloc. Loc. Regius. p. 162.	MDCII.	MDCV.	
Franc. de Forgács S. R. E. C. Archiep. Strig. Loc. Regius. p. 164.	MDCVII.	MDCXV.	
84. Stephanus VI. Illyésházi de Illyésháza. pag. 107.	MDCVIII.	MDCIX.	
85. Georgius Turzo de Betlen-Falva. pag. 169.	MDCIX.	MDCXVI.	Fere biennio.
86. Sigismundus Forgács de Ghymes. pag. 172.	MDCXVIII.	MDCXXI.	

Ordo, & nomen Palatinorum.	*Annus iniți Magiſtratus.*	*Annus depoſiti Magiſtratus, vel Mortis.*	*Vacat Palatinatus.*
87. Stanislaus Turzo de Betlen-Falva. pag. 175.	MDCXXII.	MDCXXV.	
88. Nicolaus XI. Eſzterházi de Galantha. pag. 177.	MDCXXV.	MDCXLV.	
89. Joannes V. Dráskovics de Trákoſtyán. pa. 184.	MDCXLVI.	MDCXLVIII.	
90. Paulus I. Pálffi ab Erdőd. p. 187.	MDCXLIX.	MDCLIV.	Annis fere quatuor, & decem.
91. Franciſcus Veſſelényi de Hadad. pag. 190.	MDCLV.	MDCLXVII.	
Georgius Szelepcsényi Archi-Ep. Strig. Locumt. Regius. p. 192.	MDCLXVII.		
92. Paulus II. Eſzterházi de Galantha. pag. 194.	MDCLXXXI.	MDCCXII.	Fere duobus annis.
93. Nicolaus XII. Pálffi ab Erdőd. pag. 203.	MDCCXIV.	MDCCXXXII.	Annis octo.
Sereniſſim. Dux Lotharingiæ Locumtenens Regius. pag. 206.	MDCCXXXII.		
94. Joannes VI. Pálffi ab Erdőd. pag. 208.	MDCCXLI.	MDCCLI.	
95. Ludovicus de Batthyán. pag. 216.	MDCCLI.		

FINIS.

Debreczeni M. Kir. Tisza István Tudományegyetemi Könyvtár

797133